

ACTA ET DECRETA
PRIMI CONCILII PLENARII
INSULARUM PHILIPPINARUM

MANILAE
A DIE VII AD DIEM XXV MENSIS IANUARIII
ANNO DOMINI MDCCCCLIII
CELEBRATI



TYPIS PONTIFICIAE UNIVERSITATIS SANCTI THOMAE
1956

First Plenary Council of the Philippines

January 7-25, 1953

PCP-I Decree Promulgated – August 15, 1956

ACTA ET DECRETA
PRIMI CONCILII **PLENARI**
INSULARUM PHUPPINARUM

MANILAE
A DIE VH AD DIEM XXV MENSIS IANUARI
ANNO DOMINI MDCCCCLHf
CELEBRATI

MANILA
TYPIS PONTIFICIAE UNIVERSITATIS SANCTI THOMAE

BY:
jli>dji.L>ulwⁱ«»
»»»»

v[↑]rQ
»■(■ «t

f.

ACTA ET DECRETA
PRIMI CONCILII PLENARII
INSULARUM
PHILIPPINARUM

MANILAE
A DIE VII AD DIEM XXV MENSIS
IANUARI



MANILAE
TYPIS PONTIFICIAE UNIVERSITATIS SANCTI
THOMAE

I N D E X

ACTA CONCILII

	PAG.
EPISTULA SUMMI PONTIFICIS	XI
DECRETUM CONVOCATIONIS CONCILII.....	XIV
SUMMARIUM ACTORUM CONCILII	XIX
CONGREGATIO PRAEPARATORIA	XX
Nuntii cablegraphici	• •
* •	
Census Patrum ceterorumque Conciliarium, et Officiales	XXII
Concilii	XXXI
Concilii	XXXVI
SESSIO SOLLEMNIS PRIMA	XXXVII
CONGREGATIONES GENERALES	XXXIX
Commissiones	XL
SOLLEMNES EXSEQUIAE PRO PRAESULIBUS DEFUNCTIS -----	XLI
SESSIO SOLLEMNIS SECUNDA SEU POSTREMA.....	XLIV
Acclamationes	XLV
DECRETUM RECOGNITIONIS DECRETORUM CONCILII	

DECRETA CONCILII

	DECR.	PAG.
Titulus I.		
Praeliminaria.		
Caput I. De Fide tenenda et profitenda Caput II. Nonnae generales	1-7 8-16	
Titulus II.		
De Clericis in genere.		
Caput I. De clericorum adscriptione alicui dioecesi	17-20	



IV

	DECR.	PAG.
Caput II.	De vita et honestate clericorum ... 21-25	10
Caput III.	De obedientia et reverentia Ordinariis exhibenda 26-28	12
Caput IV.	De scientia clericorum conservanda et nutrienda 29-52	14
Caput V.	De unione animorum et vita com- muni clericorum >:>00	16 18
Caput VI.	De delatione habitus et tonsurae ... 57-42	19
Caput VII.	De rebus clericis prohibitis 45-56	25
Caput VIII.	De sacerdotibus infirmis 57-58	25
Caput IX.	De testamento a clericis condendo .. 59-65	27
Caput X.	De clericis lapsis 64-68	

Titulus III.


□•3 Clericis in specie.

Caput I.	De Romano Pontifice 69-75	29
Caput II.	De Nuntio Apostolico 74-77	50
Caput III.	De Episcopis 78-97	51
Caput IV.	De Episcoporum conventibus 98-102	9
Caput V.	De Praelatis nullius 105-106	40
Caput VI.	De Vicariis et Praefectis Apostolicis 107-115	41
Caput VII.	De Curia dioecesana 116-152	44
Caput VIII.	De Capitulo Canonicorum et de Consultoribus dioecesanis 155-159	4^
Caput IX.	De Vicariis foraneis 140-145	50
Caput X.	De Parochis 144-166	55
Caput XI.	De Vicariis parocchialibus 167-175	60
Caput XII.	De Cappellanis piarum domorum .. 176-185	62
Caput XIII.	De Vicario Castrensi 184-192	65
Caput XIV.	De Cappellanis militum 195-202	67

Titulus IV.

De Religiosis.

Caput I.	De religiosis in genere 205-211	70
Caput II.	De religiosis viris 212-216	73
Caput III.	De monialibus 217-224	75
Caput IV.	De sororibus _vp.to.rum simplicium . . 225-254	78
Caput V.	De Institutis, saecularibus 255	82



V

		DECR.	PAG.
Titulus V.			
De Laicis.			
Caput I.	De fidelium associationibus in genere	236-247	83
Caput II.	De Actione Catholica	248-254	87
Caput III.	De juvenum catholicisassociationibus	255-258	90
Caput IV.	De actione sociali	259-269	91
Caput V.	De praecipuis fidelium vitiis corrigendis	270-273	94
Titulus VI.			
De Sacramentis et Sacramentalibus.			
Caput I.	De quibusdam normis generalibus ..	274-280	96
Caput II.	De baptismo.		
Art. 1.	De baptismo privato	281-284	97
Art. 2.	De subjecto baptismi	285-300	99
Art. 3.	De ritibus et caeremoniis baptismi ..	301-308	105
Art. 4.	De patrinis	309-315	108
Art. 3.	De loco baptismi conferendi	316-318	111
Art. 6.	De collati baptismi adnotatione	319-323	112
Caput III	De confirmatione.		
Art. 1.	De ministro confirmationis	324-330	114
Art. 2.	De subjecto confirmationis	331-335	117
Art. 3.	De patrinis et adnotatione confirmationis 339	336- 339	119
Caput IV.	De sacrosancto Missae sacrificio.		
	De sacerdote celebrante	340-345	
Art. 1.	De Missae iteratione	346-351	1
Art. 2.	De Missae ritibus et caeremoniis	352-357	2
Art. 3.	De tempore et loco Missae celebrandae % •		0
Art. 4.	358-361	122
	De Missis vespertinis	362-365	124
Art. 5.	De Missarum stipendiis	366-374	
Art. 6.			127
Caput V.	De sanctissimo Eucharistiae sacramento.		
	De ministro sacrae communionis ...	375-377	
Art. 1.	De subjecto sacrae communionis ...	378-385	136
Art. 2.			137

Art. 3.	De jejunio ad sacram communionem requisito	386-390	143
Art. 4.	De tempore et loco sacrae communionis distribuendae 392	144	391-
Caput VI.	De poenitentia.		
Art. 1.	De ministro sacramenti poenitentiae	393-400	145
Art. 2.	De reservatione peccatorum	401	148
Art. 3.	De subjecto sacramenti poenitentiae	402-403	148
Art. 4.	De loco, tempore et modo confessionis audiendae	404-407 149	404-407
Art. 5.	De indulgentiis	408-411	150
Caput VII.	De extrema unctione	412-416	152
Caput VIII.	De ordine	417-424	154
Caput IX.	De matrimonio.		
Art. 1.	De nonnullis erroribus praecavendis	425-434	157
Art. 2.	De praevis investigationibus et ban- nis	435-444	160
Art. 3.	De impedimentis matrimonii	445-454	163
Art. 4.	De celebratione matrimonii	455-463	168
Art. 5.	De ritu celebrationis matrimonii ...	464-468	172
Art. 6.	De dissolutione vinculi infidelium ..	469-474	174
Art. 7.	De divortio	475-478	176
Art. 8.	De causis nullitatis matrimonii	479-482	178
Caput X.	De Sacramentalibus	483-491	179
Titulus VII. De Locis et Temporibus Sacris.			
Caput I.	De ecclesiis et oratoriis	492-504	181
Caput II.	De coemeteriis	505-512	186
Caput III.	De sepultura ecclesiastica	513-524	189
Caput IV.	De diebus festis	525-530	194
Caput V.	De abstinentia et jejunio	531-533	195
Titulus VIII. De Cultu Divino.			
Caput I.	De Sacra Liturgia	534-538	197
Caput II.	De vitiis in cultu divino vitandis ..	539-546	199

VII

	DECR.	PAC.
Caput III. De custodia et cultu Ssmae. Eucharistiae	547-555	201
Caput IV. De cultu Spiritus Sancti et Sacratissimi Cordis Jesu	556-561	207
Caput V. De cultu Beatae Mariae Virginis ...	562-566	209
Caput VI. De cultu Sanctorum et imaginum . . .	567-577	212
Caput VII. De processionibus et piis peregrinationibus	578-585	215
Caput VIII. De musica sacra	584-592	217

Titulus IX.
De Magisterio Ecclesiastico.

Caput I.	De catechetica institutione.		
Art. 1.	<u>De catechismo adhibendo</u>	593-598	220
Art. 2.	<u>De catechistis</u>	599-604	222
Art. 3.	De catechetica puerorum institutione	605-613	224
Caput II.	De sacris concionibus.		
Art. 1.	De sacra homilia et catechesi adultorum	614-621	226
Art. 2.	De concionibus proprie dictis	622-625	229
Art. 3.	De modo agendi cum haereticis	626-631	230
Art. 4.	De infidelium conversione procuranda	632-640	233
Caput III.	De Seminariis.		
Art. 1.	De Seminarii constitutione ac regimine	641-651	237
Art. 2.	De vocationibus sacerdotalibus provehendis	652-656	240
Art. 3.	De alumnorum formatione	657-674	242
Caput IV.	De scholis.		
Art. 1.	De principiis fundamentalibus.....	675-678	249
Art. 2.	De scholis Status	679-682	249
Art. 3.	De scholis Ecclesiae	683-697	252
Art. 4.	De coeducatione	698-704	259
Art. 5.	De scholis non catholicis -----	705-710	262

VIII


	DECR.	PAG.
Titulus X.		
De Bonis Ecclesia* Temporalibus.		
Caput I.	De bonis ecclesiasticis acquirendis ... 711-716	265
Caput II.	De bonis ecclesiasticis administrandis 717-727	267
Caput III.	De mensis episcopalibus..... 728-731	271
Caput IV.	De taxis solvendis..... 732-739	271
Caput V.	De collectionibus eleemosynarum ... 740-745	274
Caput VI.	De piis legatis ac foundationibus 746-751	•277
SUBSCRIPTIONES PATRUM		279

APPENDICES

APPENDIX PRIMA. Formulae litterarum excardinationis et in- cardinationis adhibendae ad mentem praescripti decr. 20.	283
APPENDIX SECUNDA. Elenchus quaestionum pro sponsorum investigatione perficienda ad normam decr. 436	284
APPENDIX TERTIA. Formula Consecrationis quotannis in festo Immaculae Conceptionis renovandae, juxta praescriptum decr. 563, lo. (<i>hispanice, auglice, tagalog</i>) ..	287
APPENDIX QUARTA. Conciones in Concilio habitae:	
A) Oratio salutatoria Exc.mi et Rev.mi D. Julii Rosals, Archiepiscopi Caebuani, in Congregatione Praeparatoria Concilii	292
B) Allocutio E.mi Cardinalis Legati in Congregatione Praeparatoria Concilii	296
C) Sermo Exc.mi et Rev.mi D. Rufini Santos, Adminis- tratoris Apostolici Manilensis et Lipensis, in Prima Sessione Sollemni Concilii	306
D) Oratio Exc.mi et Rev.mi D. Alfredi Obviar, Ad ministratores Apostolici Lucenensis, in Secunda Sessione Sollemni Concilii	310 315
APPENDIX QUINTA. Epistola Conciliaris ad clerum et populum	(1)

INDEX ANALYTICO ALPHABETICO

ACTA CONCILII



DECRETA CONCILI

Titulus I.

PRAELIMINARIA.

Caput I.

De Fide tenenda et profitenda.

1. —Quoniam sine fide, ut ait Apostolus/ impossibile est placere Deo, nos Patres Primi Concilii Plenarii Insularum Philippinarum a fide, quae juxta Tridentinutrf “est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis”, ducimus initium.

2. —Omnia ergo et singula quae ab Ecclesia Catholica, sive solemnii judicio, sive ordinario et universali magisterio, ut divinitus revelata credenda proponuntur, firmissima fide tenemus ac solemnii professione confitemur et docemus.

3. —Praeterea assentimur, non externo tantum obsequio, sed interiore quoque ac debito animi assensu, Constitutionibus, decretis, decisionibus, Litteris Encyclicis a Sancta Sede ad revelata, sive validius tuenda, sive uberius explicanda, editis.

4. —Omnes errores ab Ecclesia damnatos pariter damnamus et reprobamus: nominatim vero illos qui notantur in Pii IX Encyclica *Quanta cura* et *Syllabo* seu “summa errorum modernorum”; item in Encyclicis Leonis XIII *Immortale Dei* “de civitatum constitutione christiana”, *Libertas* “de quibusdam”^{1 2}

¹ Hebr., XI, 6

² Sess. VI,

falsis libertatibus”, *Sapientiae christianae* “de amore in Ecclesiam et patriam” et *Rerum novarum* “de jure proprietatis ; necnon in Decreto *Lamentabili* et Encyclica *Pascendi* S. Pii X “de falsis doctrinis modernistarum”; itemque in Encyclicis Pii XI *Divini illius Magistri* “de christiana juventutis educatione”, *Casti connubii* “de matrimonio christiano”, *Quadragesimo anno* “de Ecclesiae auctoritate in re sociali et oeconomica” et *Divini Redemptoris* “de communismo atheo”; maxime autem in Encyclicis Pii XII *Summi pontificatus* diei 20 Octobris 1939 et *Humani generis* diei 12 Augusti 1950.

5. —Vehementer damnamus errores nunc grassantes de immoderato cultu propriae stirpis vel gentis, atque cum debita erga propriam gentem pietate conjungere volumus amorem omnium universalem, juxta Apostoli¹ sententiam haec adhortantis: “Induentes novum (hominem), eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus qui creavit illum; ubi non est Gentilis et Judaeus, circumcisio et praeputium, Barbarus et Scytha, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus”.

6. —Pro viribus rejicimus opinionem illorum qui, divina posthabita auctoritate e jusque legis imperio, civili potestati absolutissima nullique obnoxia jura tribuunt, quae ad summum Creatorem unice pertinent.

Illos quoque refellimus errores, qui invertentes rectum ordinem inter bona naturalia et supernaturalia, inter personam humanam et societatem humanam, cultum sive stirpis sive gentis sive Status ita extollunt, ut jura vel maxime fundamentalia personae humanae, familiae, aliarum gentium, ipsiusque Ecclesiae Christi negent aut penitus enervent.

¹ Coloss. III, 10-11

7.—Indolem supranationalem Ecclesiae libenter agnosci-
mus. Ipsius enim unitas ullam divisionem non admittit, qua partes
aliae ab aliis discriminentur, immo excludantur. Omnes nationes
ad Ecclesiam vocatae sunt; ad omnes pertinet Ecclesia, non ad
unam exclusive, nec ad unam magis quam ad aliam nationem.
Cumque vita Ecclesiae omnes partes et omnes periodos
humanitatis redemptae comprehendat, fieri non potest quin
Ecclesia historiam humani generis dissidiis, separationibus,
disintegrationibus plenam essentialiter incolumis participet
pervadatque. Immo, est et fit propter suam propriam unitatem
indivisibilem, fons inexhaustibilis ex quo vires unifica-
trices in omnes ramos et provincias consortii humani continuo emanant.¹

Caput II.

Normae generales.

8. —Patres in hoc Concilio Plenario congregati, studiose
inquisierunt ac decreverunt ea quae juxta can. 290 sunt objectum
decretorum Conciliorum Plenariorum; ita ut, quantum sinit diversa
locorum conditio, una eademque veluti norma universi animarum
curatores ceterique operarii evangelici regantur.

Peculiaris vero hujus Concilii finis est instaurare disciplinam
ab antiquis temporibus servatam et probatam, ac media opportuna
quaerere ad fidei incrementum ulterius promovendum in Insulis
Philippinis, tot rei publicae perturbationibus aliisque
vicissitudinibus, maxime tempore belli, exagitatis.

9. —Codicem juris canonici, die festo Pentecostes anni 1917
pro universa Ecclesia promulgatum, nostraeque traditum custodiae
ac vigilantiae, plene servandum curabimus. Ali

¹ Allocut. Pn XII in Gonsist. semipublico, 20 Feb. 1946.

quos vero ejus canones expresse in hoc Concilio recensemus, qui aut urgentiori modo commendantur, aut ulterius determinantur.

10 .—Ad unam eandemque disciplinam servandam, praesens Concilium accurate recognovit leges atque consuetudines particulares apud nos vigentes, easque in unum collegit, suppressis reliquis omnibus forte olim existentibus. Itaque:

1.0 Leges particulares pro universo Philippinarum territorio, sive a Concilio provinciali Manilano primo sive ab alia legitima auctoritate infra Sanctam Sedem quomodocumque latae, abrogatae censeantur nisi in hoc Concilio Plenario includantur aut commemorentur.

2.0 Suppressae pariter habeantur consuetudines particulares olim in omnibus his insulis vigentes, quarum nulla mentio in Concilio Plenario fiat, nisi sint centenariae.

3.0 Nihil tamen immutatur de legibus et consuetudinibus particularium dioecesium aut ecclesiarum, nisi sint decretis hujus Concilii contrariae.

11 .—Nullatenus derogatur privilegiis et induitis ab Apostolica Sede concessis; quare, dummodo in usu adhuc sint nec revocata habeantur, integra manent licet in hoc Concilio nullo modo commemorentur.

12 .—Decreta hujus Concilii Plenarii, postquam a Sede Apostolica recognita fuerint, rite in his insulis promulgabuntur per litteras Nuntii Apostolici ad Ordinarios locorum, et vim suam exerent expletis sex mensibus a sua promulgatione computandis.

13 .—Omnia et singula hujus Concilii decreta respiciunt universum Insularum Philippinarum territorium pro subjecta

materia; nec Ordinarii locorum ab iisdem dispensare possunt, nisi in casibus particularibus et justa de causa.

14. —Decreta intelligenda sunt secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam; ex quibus etiam facile dignosci poterit utrum meram directionem contineant an veram obligationem imponant.

15. —In dubiis occurrentibus, Ordinarii locorum poterunt verba in se certa explicare seu declarare. Interpretatio autem authentica decretorum, sive comprehensiva ea sit, sive extensiva aut restrictiva, reservatur Commissioni quinque episcoporum, a coetu omnium Ordinariorum localium suo tempore designandae.

16. —Si versio totalis aut partialis Decretorum hujus Concilii necessaria judicetur, accuratissime fiat, et nonnisi obtenta expressa licentia Sanctae Sedis in primo casu vel Ordinarii loci in altero, in lucem edatur.

Titulus II.

DE CLERICIS IN GENERE.

Caput I.

De clericorum adscriptione alicui dioecesi.

17 .—Praeter ea quae a iure communi in canonibus m- 117 statuuntur, prae oculis habeant Ordinarii locorum Constitutionem Apostolicam *Exsul Familia*, 1 Augusti 1952, qua, praeter alia, huiusmodi dantur normae speciales:

I. Unius Sacrae Congregationis Consistorialis est sacerdotibus, qui ex Europa vel Mediterraneis oris ad exteras transmarinas regiones, per quodvis temporis spatium, sive breve sive longum sive indefinitum, aut in perpetuum, migrare desiderent, licentiam proficiscendi ibique manendi aut diutius commorandi concedere.

Nuntii, Internuntii et Delegati Apostolici eandem licentiam concedere poterunt sacerdotibus illius nationis, apud quam legatione stabili funguntur, dummodo huiusmodi facultas eisdem attributa sit et reservata.

II. Quam licentiam obtinere debent sacerdotes, de quibus supra in I, ut, servatis ceteris de iure servandis, alienae dioecesi in regionibus transmarinis incardinentur.

Eadem licentia religiosi quoque indigent, nisi agatur de iis qui a Superioribus ad alias religionis suae domus mittantur; pariterque exclaustrati durante exclaustrationis tempore; necnon saecularizati ab Episcopo benevolo, sive pure et simpliciter sive pro experimento, recepti.

III. Haec autem licentia, firmis ceteris legibus in decreto *Magni semper negotii*, 30 Decembris 1918, statutis, ne concedatur nisi certo constet:

1.0 de bono oratoris vitae testimonio;

2.0 de justa et rationabili migrandi causa;

3.0 de consensu tum Episcopi *a quo* discedit, aut Superioris si agatur de religiosis, tum Episcopi *ad quem* accedit;

4.0 de habito Sacrae Congregationis Concilii induito si agatur de parochis, quoties absentia ultra duos menses protrahi debeat.

IV. Sacerdotes sive saeculares sive religiosi qui, obtenta licentia migrandi in aliquam regionem transmarinam, de una in alteram dicionem etiam ejusdem regionis demigrare desiderent, nova indigent licentia.

V. Sacerdotes qui, his legibus non servatis, temere arroganterque demigraverint, incident in poenas eodem decreto *Magni semper negotii* latas, nempe: “Sacerdotes qui, his legibus non servatis, temere arroganterque demigraverint, suspensi a divinis ipso facto maneant: qui nihilominus sacris (quod Deus avertat) operari audeant, in irregularitatem incidant: a quibus poenis absolvi non possint nisi a Sacra hac Congregatione Consistoriali”.¹

18. —Praeterea ut sacerdotes cleri dioecesani iter in Americam Septentrionalem, quavis ex causa, instituere possint:

1.0 Requiritur praevious tractatus inter Episcopum *a quo* et Episcopum *ad quem*, in quo justa causa itineris significetur, et consensus Ordinarii *ad quem* obtineatur.

¹ Cfr. Acta Apost. Sedis XI, pp. 39-43; XXXIV, pp. 649-704.

2.0 Certior deinde ab Episcopo *a quo* reddendus est Nuntius Apostolicus, quum de consensu Ordinarii *ad quem*, tum de licentia proprio sacerdoti concedenda.

3.0 His praemissis, Episcopus proprius licentiam abeundi concedere, sacerdotes autem iter arripere possunt, vetito accessu ad loca pro quibus Ordinariorum *ad quos* consensus praevis obtentus non fuerit.¹

19. —“Ad incardinationem clerici ex facto tonsurae satis est propositum sese mancipandi servitio et obedientiae Ordinarii dioecesis pro qua promovetur, adeo ut superfluum sit juramentum stabilitatis, et, absque formali excardinatione, ad aliam dioecesim transire sic tonsuratus nequeat

20. —Commendamus ut omnes harum provinciarum Episcopi iisdem formulis litterarum excardinationis et incardinationis (in Appendice positis) utantur, quo major in hac summi momenti disciplina conformitas habeatur.

Caput II.

De vita et honestate clericorum.

21 •—Meminerint clerici omnes se non in bonum propriae familiae, neve in commodiorem vitae conditionem, sed in sortem Domini vocatos esse. Majori igitur Dei gloriae promovendae, regno Domini Nostri Jesu Christi propagando atque aeternae animarum saluti procurandae, forti atque abnegato animo, omnes suas vires omneque studium applicent.^{1 2}

¹ S.C. Consist. 25 Oct.

² S.C. Cone. 10 Mart.

Cumque ipsi “sanctiorem prae laicis vitam interiorem et exteriorem ducere eisque virtute et recte factis in exemplum excellere”¹ debeant:

1.0 Orationi mentali quotidie per congruum temporis spatium incumbant; quae quidem, si fieri potest, in ecclesiis, ante Missae celebrationem a sacerdotibus, ante sacram Communionem a ceteris clericis, fiat.

2.0 Singulis diebus, sanctissimum Sacramentum visitare, Deiparam Virginem mariano rosario colere, conscientiam discutere, pro viribus, curent.

3.0 Singulis pariter diebus, Sacrarum Scripturarum vel Sanctorum Patrum aliorumve asceseos atque theologiae pastoralis tractatum lectioni, opportuno tempore vacent.

4.0 Sacerdotes valde sibi commendatam habeant quotidianam ac devotam sancti Sacrificii celebrationem; et ideo, ad minus tertiae partis horae spatium in tam augusto mysterio celebrando impendant, semihoram autem generatim ne excedant. Ad ejus oblationem sese piis precibus disponant; eoque expleto, gratias Deo pro tanto beneficio, si fieri poterit coram populo agant.

22, —Juxta can. 125 n. 1 Ordinarii locorum curare debent “ut clerici omnes poenitentiae sacramento frequenter conscientiae maculas eluant”. Quare singulis nostrarum dioecesium sacerdotibus in Domino commendamus, ut octavo quoque die, aut alternis saltem hebdomadis, confessione sacramentali expientur. Quod si id fieri nequeat ob confessarii defectum, pro viribus curent semel ad minimum 111 mense confiteri.

23. —Omnes sacerdotes saeculares quotannis spiritualibus exercitiis, per quinque saltem integros dies a proprio Ordinario determinandos vacent; neque ab eis quisquam eximatur, nisi in casu particulari, justa de causa ac de expressa ejusdem Ordinarii licentia.

Cumque Summus Pontifex Pius XI in Encycl. *Mens nostra* 20 Dec. 1929 asseveraverit “in spiritualibus exercitationibus singulare aeternae salutis praesidium positum esse atque constitutum”, ab Episcopis nitendum est ut in pia aliqua religio-save domo ad hoc destinata, idoneo advocato Directore ac silentio accurate servato, hujusmodi exercitia a clericis in communi peragantur.

24. —Quo in sacro recessu legendas et considerandas commendamus Litteras Apostolicas *Ad catholici sacerdotii fastigium, Mediator Dei et hominum, Mystici Corporis Christi*, necnon exhortationem *Menti nostrae*. Enixe praeterea hortamur omnes nostros clericos ut, eadem occasione, Formulam consecrationis Sacratissimo Cordi Jesu et Immaculato Cordi Mariae recitent.

25. —Praeter annua exercitia omnes nostri sacerdotes, nisi aliqui a respectivis Ordinariis excipiantur, diem spiritualis recollectionis singulis mensibus habeant, ad proposita renovanda, defectus corrigendos, fervorem excitandum et ut ad mortem se praeparent. Quo autem uberius hujusmodi spiritualis recessus perficiatur, Ordinarii statuunt normas in praxi sequendas.

Caput III.

De obedientia et reverentia Ordinariis exhibenda.

26. —“Omnes clerici, praesertim vero presbyteri, speciali obligatione tenentur suo quisque Ordinario reverentiam et

obedientiam exhibendi.”¹ Ad rem etiam Pius XI in Encycl. *Ad catholici sacerdotii*: “Accipiat quisque suorum moderatorum normas ut ipsius Jesu Christi praecepta; qui vere unus est, cui omnes obtemperemus, catholicae religionis dux et auctor, quique pro nobis factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis”.

Quare doctrinam Cone. Manii. I n. 786 in omnium memoriam revocamus: “Sacerdotes Episcopo suo obediant, eique subjaceant: ipsi reverentiam promissam et debitum obsequium semper, ubique et in omnibus praestent. Quidquid ille vetat, fugiant; quidquid mandat, prompto et alacri animo fideliter exsequantur: ita ut omnes, humili subjectione, summaque cum Episcopo consensione, collatis in unum studiis, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi vires suas unanimes impendant”.

27.—“Quoties et quamdiu id, iudicio proprii Ordinarii, exigat Ecclesiae necessitas, ac nisi legitimum impedimentum excuset, suscipiendum est clericis ac fideliter implendum munus quod ipsis fuerit ab Episcopo commissum.”

Circa hanc juris communis praescriptionem, haec sunt adnotanda: a) Potest Episcopus etiam poenis sacerdotes liberos, idoneos et viribus valentes cogere ut munus paroeciale suscipiant, donec aliter provisum fuerit ; b) Sufficit dioecesis necessitas moralis, quae neque extrema neque levis sit, sed notabilis seu relative gravis; c) Obligatio magis urget sacerdotes ordinatos titulo servitii dioecesis; d) Inobedientia etiam censuris puniri potest; e) Impedimentum excusans potest esse phy-^{* 2 3}

³ Can. 127,
2[^] 23

³ Cfr. S. C. Cone., 6 Aug. 1910 (Acta Apost. Sedis II, pp. 911-913).

sicum vel morale; f) Contra Ordinariorum praecepta datur recursus ad S. Congregationem Concilii.

28 .—Non tamen prohibetur quominus sacerdotes suis Ordinariis exponant difficultates, quas forte in aliquo munere obeundo habeant; dummodo ea expositio fiat animo obedientiae et reverentiae, atque ab omni hallucinationis periculo se expediant.

Caput IV.

De scientia clericorum conservanda et nutrienda.

29 .—“Clerici studia, praesertim sacra, recepto sacerdotio, ne intermittant; et in sacris disciplinis solidam illam doctrinam a majoribus traditam et communiter ab Ecclesia receptam sectentur, devitantes profanas vocum novitates et falsi nominis

. • »i

scientiam.

Ut hanc juris praescriptionem adimplere queant sacerdotes nostri, ac parochi qui in nonnullis regionibus plurimis detinentur laboribus ob paroeciarum amplitudinem, tria eis potissimum commendamus:

1.0 Ut omnes Codicem juris canonici ac Decreta hujus Primi Concilii Plenarii ad manus habeant et probe considerent.

2.0 Ut assidue legant Commentarium interdioecesanum *Boletin Eclesicistico de Filipinas*, singulis mensibus ab Universitate Sancti Thomae editum; in quo praecipua Sanctae Sedis decreta atque acta recentiora evulgantur, quaestiones practicae in utilitatem parochorum solvuntur, etc.

Ut autem commentarium hoc utilius sit omnibus sacerdotibus laborantibus in Philippinis, documenta Sanctae Sedis et casus morales lingua latina edentur; cetera vero, quae publi-

¹ Can. 129.

centur lingua hispanica, resumantur lingua anglica; et quae anglice edantur, hispanice resumantur.

Obligatoria erit subscriptio omnibus et singulis sacerdotibus cleri saecularis et religiosi curam animarum habentibus; et ipsa Curia ecclesiastica de pretio subscriptionum solvendo invigilabit.

3.0 Ut certam temporis partitionem sibi praestituant, eamque diligenter observent, ita ut nullo unquam die, quantum fieri potest, praetermittant lectionem de aliqua sacra disciplina ad normam decr. 21, 3.0.

30 .—In memoriam praeterea revocent haec verba Pii XI in Encycl. *Ad catholici sacerdotii*: “Sacerdos igitur, Venerabiles Fratres, etsi sui muneris occupationibus curisque distentus, altiora pro viribus gravioraque Theologiae studia repetat, atque adeo illius adjunctis doctrinae, quam in Seminario hausit, uberiores cotidie addat sacrarum disciplinarum eruditionem, qua quidem magis magisque ad condonandum animosque regendos idoneus evadat”.

31 .—Quod attinet ad examen quotannis per triennium a can. 130 praescriptum, haec sunt animadvertenda:

1.0 Circa materiam, tempus, modum et durationem examinis, necnon examinerum selectum et numerum, stetur normis a respectivo Ordinario loci datis.

2.0 De singulis examinatis, scripto exaretur iudicium in archivio Episcopi custodiendum, ut sacerdotum indoles et doctrina magis magisque superioribus ecclesiasticis pateat.¹

¹ Cone. Manii. I, n. 766.

3-0 Sacerdotes qui absque dispensatione et legitimo impedimento examen de quo in canone 130 renuant, ab Ordinario congruis poenis ad illud cogantur.¹

4.0 Fas est Episcopo, etiam elapso triennio, suos sacerdotes annis subsequenter ad examen vocare.

32 .—Attento can. 131 ac bene perspectis adjunctis nostrarum paroeciarum, sequentes normas in praxi servandas damus:

1.0 Quamvis recollectio spiritualis singulis mensibus haberi debeat juxta decr. 25, collationes tamen de re morali et liturgica habeantur alternis mensibus, diebus et modo ab Ordinario statutis.

2.0 Singuli parochi ac sacerdotes saeculares, intra mensem, scriptam casuum solutionem Curiae episcopali remittant.

Caput V.

De unione animorum et vita communi clericorum.

33 .—Mutua sacerdotum omnium inter se et eorumdem cum suis Episcopis unio diligentissime fovenda est; et eo quidem impensius, quo inter clericos diversarum nationum diversaeque stirpis difficilior obtineri potest.

Ordinarii autem locorum serio admoneant et, si opus fuerit, puniant eos qui cum obedientiae detrimento de Superioribus hierarchicis eorumque dispositionibus loquuntur, cum caritatis damno aliorum absentium defectus erratave divulgant, circumferunt nuntios vel rumores, qui ad aedificationem non faciunt.¹

¹ On. 2376.

Clerici demum qui anonymis litteris bonam alicujus Episcopi famam laedant, ipso facto suspensionem *a divinis* incurrant.

34 .—Cum consuetudo vitae communis inter clericos in Jure canonico¹ laudetur ac suadeatur, eaque, ubi viget, quantum fieri potest servanda praecipitur, haec pro nostris regionibus statuenda in Domino censemus:

1.0 Vicarii cooperatores seu *eadj ut ores* ministerio paroeciali adscripti,¹ quando cum parrocho in eadem domo commorantur, communem vitam retineant; ubi vero victus consuetudinem adhuc non habent, in votis est ut, pro rerum et locorum adjunctis, prudenter ab Ordinariis ad eam consecrandam adducantur, ita tamen ut Vicarii cooperatores sufficiens emolumentum accipiant.

2.0 Sedulo curandum est ut sacerdotes munere aliquo non paroeciali fungentes, cum aliis sacerdotibus in eadem domo ita cohabitent ut, quantum fieri possit, vitam cum illis communem agant.

3.0 Juniores sacerdotes pro regula nunquam mittantur ad sacra exercenda, nisi sub custodia et prudenti moderamine senioris presbyteri virtutis probatae.

35 .—Concilium vehementer exoptat ut, quoties duo pluresve. sacerdotes in eadem domo commorentur, non solum eadem mensa ipsi utantur, sed etiam matutinae orationi mentali, rosarii recitationi ac examini conscientiae simul incumbant.

Item sacerdotes omnes hortatur ut nomen dent piis associationibus ad profectum eorundem spiritualem institutis, quales sunt Foedus ad sanctitatem sacerdotalem, Unio Apos-

¹ Can. 134, et 476 § 5.

tolica sacerdotum, Associatio sacerdotum adoratorum, Pia Unio Cleri pro Missionibus, Confraternitas a suffragiis mutuis, et aliae similes.

36. —Quoties unicus sacerdos adesse in paroecia vel missione debeat ob bonum animarum, non mittatur nisi sacerdos maturae aetatis ac probatae virtutis. Pro viribus autem curet Ordinarius loci ut saltem semel in mense invisatur, ac ipse parochus vicissim vicarium foraneum vel sacerdotem viciniorem semel etiam in mense visitet; tum ut opportunitas eidem praebeatur sacramentalem confessionem peragendi, tum etiam ne ipse privetur solatio et adjumento aliorum.

Caput VI.

De delatione habitus et tonsurae.

37. —Mandamus ut omnes sacerdotes aliique clerici, etiam simpliciter tonsurati, vestem talarem quae vulgo *sotana* audit, publice ac privatim deferant juxta normas ab Ordinario loci datas.

38 .—Districte omnibus clericis prohibemus ne, sive itinerantes, sive domi degentes, habitu laicali induti appareant coram populo vel coram accedentibus ad eorum domos.

Ordinarii tamen locorum possunt ab hac lege caute et prudenter dispensare, quoties agatur de itineribus pedestribus vel equestribus quae ruri aut in montanis fieri debent, et in quibus usus vestis talaris perincommodus evadit.

Admitti autem potest ut clerici vestem talarem ludi causa ad tempus exuant, dummodo ne agatur de exhibitionibus publicis, atque aliunde modestiam servent et scandalum vitent.

39.—Omnibus nostris clericis prohibemus quominus extra domum, praesertim in civitatibus, detecto capite incedant.

Praeter petasum clericalem vulgo *de teja* nuncupatum, permittimus galera sic dicta *de felpa, helmet, sebastopol, parietina, bontal* dummodo nigri sint coloris, aut alba sed vitta nigra circumplexa. Reliqui petasi a laicis adhibiti, clericis interdicuntur.

40.—Omnes et singuli clerici, non exceptis extraneis domicilium aut quasi-domicilium in hac regione habentibus, tenentur tonsuram quae *corona* vocatur gerere, conspicuam et ad formam unicuique ordini congruam.

Vestium et corporis munditiem et quamdam in conversando comitatem cum modestia et gravitate conjunctam jugiter servent; reprobato illo nimis exquisito mundanorum cultu, et usu colendi comam more laicorum.

41.—Si quando clericus ad exteram regionem cum Ordinarii sui licentia iter aggrediatur, non prohibetur habitum ecclesiasticum illi regioni proprium induere.

42.—Ad omnes abusus in hac re removendos et ad disciplinam ecclesiasticam firmandam et urgendam, Ordinarii locorum diligenter vigilant ut omnes clerici sibi subditi accurate observent ea quae in decretis 37-40 statuta sunt.

Caput VII.

De rebus clericis prohibitis.

43.—Circa cohabitationem cum mulieribus, prae oculis habeantur sequentes normae nostris regionibus accommodatae:

i.o Quoad parochos aliosque animarum curam habentes, confirmamus ea quae a Cone. Manii. I num. 328 sapienter statuta sunt: “Volumus et ordinamus ne mulieres, nec illis exceptis in quibus naturale foedus nihil permittit criminis suspicari, cum rectore animarum de regula ordinaria in una domo versentur. Quod si aliquando, gravi et justa de causa deceat, ut matrem aut sororem innuptam, provecioris aetatis optimaefque famaef, apud se parochus recipiat, ipse prius ab Episcopo licentiam petat atque obtineat”. Licentia haec in scriptis detur.

2.0 Idem servandum praecipimus etiam a clericis quibus cura animarum non incumbit, nisi diuturna infirmitate detineantur aut senescente laborent aetate; quibus in casibus, ipsis licebit “cum illis tantum mulieribus cohabitare in quibus naturale foedus nihil mali permittit suspicari, quales sunt mater, soror, amita et hujusmodi, aut a quibus spectata morum honestas, cum proveciore aetate (40 circiter annorum) conjuncta, omnem suspicionem amoveat”¹

3.0 Ne sinant clerici in suis domibus mulieres vel puellas vagare aut etiam ad breve tempus commorari. Si ratione pastoralis officii cum iis colloqui debeant, id ne faciant nisi adhibitis cautelis decr. 151 indicatis.

44 .—Habita ratione moris in his regionibus usitati, omnibus clericis apud nos degentibus interdicitur:

1.0 Ne in eodem curru privato cum ulla muliere, licet cognata aut propinqua, iter instituant; salvo casu quo de administratione Sacramentorum vel Sacramentalium agatur, aut christiana urbanitas aliud exigat.

¹ Can. 133 § 2.

2.0 Ne, occasione excursionum quae interdum recreationis ac solatii causa instituuntur a piis sodalitiis, ullo pacto audeant filias Mariae aliasve juniores feminas comitari, etiam in curribus publicis ad hunc finem conductis.

3.0 Ne balneis una cum personis alterius sexus utantur.

4.0 Ne puellas aut puellulas familiariter tractent.

45. —A frequentiore consortio mulierum, etiam earum quae pietatis et modestiae laude cohonestantur, abstineant. Quamvis enim castitas servari queat in mulierum consortio, raro tamen bonum nomen retineri potest.

46. —Absque licentia in scriptis data tum ab Ordinario proprio tum ab Ordinario loci in quo schola sita est, et sub poenis arbitrio ejusdem infligendis, clerici neque publice neque privatim puellas aut juniores feminas doceant scientias, litteras, cantum, musicam et alia hujusmodi; excepta institutione catechetica, quae ut plurimum in ecclesia vel oratorio aut in collegio religiosarum tradetur, sin minus in alio loco honesto.

Neque clericis permittitur feminarum concentus musicos personaliter experiri aut moderari in choro vel in domo paroe- ciali, sed in alio loco publico et tantum in defectu alius apti directoris.

47. —Omnibus praeterea clericis interdicitur:

1.0 Ne aleatoriis cujusvis generis ludis, pecunia exposita, vacent;

2.0 Ne sinant laicos hujusmodi agere ludos in domo paroeciali, etiamsi clerici partem in ipsis nullam habeant.

Clerici qui praescriptum hujus decreti num. **19** violaverint et post unam admonitionem in contumacia perstiterint, *ipso jacto* in suspensionem incurrunt.¹

48 .—Ex juris communis praescripto, “clerici tabernas aliaque similia loca sine necessitate aut alia justa causa ab Ordinario loci probata ne ingrediantur.””

Nomine tabernae veniunt omnia loca, quae clericos dedecent, sive separata existant, sive sint accessoria alicui domui, ubi ex principali loci destinatione, omnibus promiscue adventantibus qualibet diei hora praebentur potus venales.

Ut saluberrima haec lex accuratius observetur ab omnibus clericis, domicilium aut quasi-domicilium hic habentibus, statuimus et declaramus sequentia:

1.0 Praeterquam in casu necessitatis v. gr. ratione itineris, adest justa causa si sacerdos ibidem invisurus est propinquum aut parochianum suum, atque etiam in aliis casibus ab Ordinario loci probandis.

2.0 Clericus tabernam ingrediens ob justam causam atque ibidem edens vel bibens, ea se gerat temperantia, sobrietate et gravitate, quae viros in sortem Domini vocatos deceat; nullatenus autem ibidem lusibus indulgeat.

3.0 Qui sine justa causa tabernam ingressi fuerint, vel ibi scandalose se gesserint, sciant se, absque ulteriore monitione, poena ad arbitrium Ordinarii loci corripiendos esse.

49. —Frugali mensa utantur clerici, et in frequentandis laicorum conviviis cauti et parci sint. Vehementer omnes hortamur, ut ab adeundis conviviis nuptialibus vel baptismalibus et coena apud laicos, praesertim vero cum in multam noctem pro-^{1 2}

¹ Can.

² Can. 138.

trahitur, abstineant. Facile contemnitur clericus, qui saepe vocatus ad prandium, ire numquam recusat; et si sobrietas desit, in sacerdote spiritus sanctitatis extinguatur.¹

50. —“Spectaculis, choreis et pompis quae eos dedecent, vel quibus clericos interesse scandalo sit, praesertim in publicis theatris, ne intersint.”

Circa hanc legem statuimus et declaramus sequentia:

1.0 Sub gravi praecepto omnibus et singulis clericis, non exceptis extraneis in hac regione domicilium vel quasi-domicilium habentibus, prohibetur ne in publico theatro spectaculis, choreis aliisque pompis intersint absque expressa Ordinarii loci licentia.

2.0 Sub hac prohibitione non comprehenditur casus peculiaris, quo theatrum ceteroquin publicum ab schola aut societate quadam catholica, Ordinario loci consentiente, ad spectaculum dandum locatione tenetur.

3.0 Iidem vetantur in locis publicis vulgo *cinema* dictis, interesse spectaculis aut ludis cinematographicis; nisi haec sub directione sacerdotis a Superioribus probati in aliquo casu particulari agantur, vel de cinematographicis, ut ajunt, pelliculis (*films*) ab Episcopo approbatis pro sacerdotibus sermo sit.

4.0 Suspensionem *a divinis* contrahunt clerici in majoribus ordinibus constituti qui post unam admonitionem graves has prohibitiones transgrediantur.

5.0 Prae mente habeantur dispositiones S. Congregationis Concilii, 1 Julii 1926.

51. —Ordinarii locorum pro suo quisque territorio opportunas condant normas a clericis observandas circa currum^{1 2}

¹ Cone. Manii. I, n.

² Can. 140.

automobilem, sive ab ipsis clericis possidendum, sive per se ipsos ducendum.

52.—Sacerdotes, ii praesertim qui curam animarum gerunt, ab omni specie avaritiae, praecipue in taxis exigendis, tamquam a peste caveant, omnem hujus vitii occasionem fugientes atque inordinatum cognatorum amorem cohibentes.

53.—Clerici et Religiosi omnes ritus latini de quibus in canonibus 487-681, ne exceptis quidem recentium Institutorum saecularium sodalibus, per se vel per alios, mercaturam seu negotiationem cujusvis generis, etiam argentariam, exercentes, sive in propriam sive in aliorum utilitatem, contra praescriptum can. 142, utpote hujus criminis rei, excommunicationem latae sententiae Apostolicae Sedi speciali modo reservatam incurrunt et, si casus ferat, degradationis quoque poena plectantur.

Superiores vero qui eadem delicta, pro munere suo ac facultate, non impediverint, destituendi sunt ab officio et inhabiles declarandi ad quodlibet regiminis et administrationis munus.¹

54.—Quod attinet ad officia in societate civili gerenda, haec sunt tenenda:

1.0 Religiose abstineant clerici et sacerdotes a factionibus et agitationibus politicis, maxime quae aliquid moliantur adversus regimen constitutum pacemque publicam, neque ipsis ullo modo faveant vel auxilientur.

2.0 Senatorum aut oratorum legibus ferendis, quos *deputatos* vocant, munus ne sollicitent neve acceptent sine licentia sui Ordinarii, quam licentiam oportet obtineant etiam ab Ordinario tum loci electionis tum loci ubi officium exercendum est.

³ S.C. Cone. 22 Mart. 1950.

3-0 Caveant sacerdotes et clerici, ne aliud munus vel officium quodcumque a gubernio collatum acceptent, nisi de licentia Episcopi proprii; penes quem erit declarare, in omni casu, utrum hujusmodi munera vel officia sint acceptanda necne.

4.0 Omnibus tamen qui de clero sunt, licebit prudenter et moderate exercere jura, quae cuivis civi concedunt constitutio Status ac leges, praesertim quando agitur de electionibus ad munera et officia publica.

55 .—Ad normam decreti Sancti Officii, 26 Mart. 1942., omnibus clericis ac religiosis subditis stricte prohibemus scrutationes *Radioaestesia*, circa personarum circumstantias et eventus divinandos.

56 .—Clericis non licet nomen dare Associationi *Rotary Club* vel ejusdem coetibus interesse.¹

Caput VIII.

De sacerdotibus infirmis.

57 .—Non desunt sacerdotes qui, gravi morbo aut senectute correpti, muneribus apostolicis inter populum fidelem obeundis impares redduntur. Singulari, quo infirmos istos con- fratres prosequimur, amore et veneratione commoti, summopere desideramus ut, meliore qua fieri possit ratione, ita eorum com- modis atque utilitati prospiciatur, ut nec inopiae afflictione urgeantur, neque alia quavis temporali sollicitudine premantur, sed ea cuncta habeant, quibus illorum senectuti solamen afferatur vel a morbo citius releventur. Pro viribus igitur curent Episcopi in sua quisque dioecesi aerarium, sive ex liberalibus fidelium oblationibus, sive ex eleemosynis aliunde collectis et

eorum arbitrio erogandis, constituere; cuius bona aut reditus, in decentem illorum sacerdotum sustentationem unice impendantur.

58. —Optamus insuper ut, ubicumque fieri possit, instituatur pia sodalitas clericalis mutuorum suffragiorum pro sacerdotibus defunctis, cui etiam competat de temporalibus indigentis sociorum providere, juxta normas a singulis Episcopis statuendas seu approbandas.

Quilibet sacerdos saecularis celebret unam Missam pro defuncto sacerdote suae dioecesis.

Caput IX.

De testamento a clericis condendo.

59. —Summopere exoptat Concilium ut clerici omnes saeculares de privatis ipsorum bonis recte ac tempestive disponant; eorum enim maxime interest ut, nedum spiritualibus, sed et ipsis quoque temporalibus rebus opportune prospiciant, ne forte post obitum notabilem pecuniae summam relinquunt cum fidelium scandalo et ipsius status clericalis dedecore.

60. —Quapropter iidem clerici, dum adhuc mente et corpore valent, testamentum jure etiam civili validum conficere tenentur. Qui vero bonorum ecclesiasticorum administrationem habent, ac praesertim parochi et Ordinarii locorum, intra duos menses a capta sui officii possessione, testamentum condant, in archivo Curiae dioecesanae deponendum riteque custodiendum. Huic testamento codicillus, quinto quoque anno, addendus est.

61. —Sedulo curent clerici testamentum conficientes, nedum perspicue declarare quaenam res privatum ipsorum

patrimonium constituent, sed et statuere res alias omnes, sive in domo paroeciali sive in propria ecclesia exstantes, ad personam moralem seu Ecclesiam Catholicam unice pertinere.

62 .—Cum juxta can. 1473, etsi beneficiarius alia bona non beneficialia habeat, libere uti frui possit fructibus beneficialibus qui ad ejus honestam sustentationem sint necessarii, obligatione autem teneatur impendendi superfluos pro pauperibus aut piis causis; Concilium urget eandem normam observandam etiam a parochis nostrarum regionum.

Iis igitur omnibus ad quos spectat enixe commendamus Seminarium dioecesanum, itemque opera ad vocationes sacerdotales fovendas.

63 .—Invigilent denique sacerdotes, ne ea quae Christi pauperibus aut Ecclesiae relinquere debent, paulatim ad familiam ditandam transeant, consanguineis non egentibus quoquo modo donentur, aut institutionibus vel personis extraneis testamento relinquuntur.

Caput X.

De clericis lapsis.

64 .—Ex lugenda nimis humanae naturae fragilitate, necnon Satanae tentatione, quandoque fit ut qui ad sacerdotalem dignitatem evectus fuit, eam vitae rationem teneat, quae status sanctitati ac muneris fructuoso exercitio, obedientiae debitae et recto ordini, plane contraria sit.

65 .—Tristissima profecto ac periculis plenissima hujusmodi sacerdotis conditio est, praesertim ex peculiaribus nostrarum regionum circumstantiis, ita ut spirituali ac temporali

egestate, filio prodigo, cujus Evangelium meminit, vere comparari possit. At non minus verum est, eodem nos ac patrem, de quo sacra parabola, paterni amoris ac piae commiserationis affectu filios nostros aberrantes prosequi. Semper enim parati sumus eosdem, dummodo de insipientia sua dolentes cordique patris confidentes in domum paternam redeant, brachiis apertis recipere, eisque jura fratris minoris restituere, gaudentes quod filius qui mortuus erat revixerit, et qui perierat inventus sit.

66—Q uamvis itaque sacerdotes, qui ob suam culpam a sacris functionibus arcentur, non possint ab Episcopo exigere ut eorum congruae sustentationi provideat, ipsis tamen, si alia media eis desint, paterno caritatis affectu, aliquo modo subveniendum erit, ut facilius ad rectam frugem reducantur. Quod ut efficacius obtineatur, commendamus, ut qui spem fundatam conversionis exhibent, pro tempore ab Episcopo statuendo, vitam degant in pia aliqua domo vel monasterio vel in aliqua domo spiritualibus exercitiis adsignata. Quo vero modo pecunia pro sacerdotis sustentatione, sive in priori sive in altero casu requisita, colligenda sit, ab Episcopo cum suis consultoribus determinandum est.

67 .—In votis Patrum Concilii est ut duae saltem domus his sacerdotibus paenitentibus excipiendis destinatae quamprimum erigantur, quarum altera in insula Luzon, altera in regione Visayas pro diversarum dioecesium commoditate instituantur.

68 .—Maximum hoc nostrae sollicitudinis negotium absolvere non possumus, quin omnes nostrarum dioecesium religiosos virorum ordines, toto cordis affectu obsecremus, ut omne quod valent auxilium, in hoc caritatis sacerdotalis opere, nobis praestent pro majori Dei gloria et Ecclesiae Matris honore.

Titulus III.

DE CLERICIS IN SPECIE.

Caput I.

De Romano Pontifice.

69.- “Romanus Pontifex, Beati Petri in primatu Successor, habet non solum primatum honoris, sed supremam et plenam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam tum in rebus quae ad fidem et mores, tum in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent.

Haec potestas est vere episcopalis, ordinaria et immediata tum in omnes et singulas ecclesias, tum in omnes et singulos pastores et fideles, a quavis humana auctoritate independens.”¹

70 .—Curia Romana constat Sacris Congregationibus, Tribunalibus et Officiis, per quae idem Romanus Pontifex negotia Ecclesiae universae expedire solet. Quae omnia, prout unam personam cum capite Ecclesiae constituunt, nomine *Sanctae Sedis* vel *Sedis Apostolicae* veniunt.^{1 2}

71.—Obedientiae exemplum fidelibus nostrae jurisdictioni commissis praebentes, nos Patres hujus Concilii Plenarii solemniter profiteamur fidem, subjectionem et obedientiam per omnia exhibere Romano Pontifici, Jesu Christi Vicario, et in unitate ejusdem fidei, Deo operante, persistere, in qua omnis christianorum salus sine dubio esse comprobatur.

¹ Can. 218.

² Can. 7, et 242.

72. —Summa pariter reverentia, obedientia atque amore, tum verbo tum exemplo, Sanctam Sedem prosequantur omnes sacerdotes; curentque ut fideles sibi subditi, eodem animo parati, fidelissime observent leges ac praecepta ab eadem Sancta Sede promulgata.

73. —Quo magis promoveatur arctissima cum Sancta Sede unio, quotannis celebretur “Dies Summo Pontifici sacer in festo Cathedrae Romanae Sancti Petri Apostoli, aut die dominico proximior; eoque recurrente, fideles in singulis paroeciis excitentur, sive ad gratias Deo agendas ob innumera beneficia in totum mundum a supremo Ecclesiae moderatore hactenus derivata, sive ad necessarium auxilium a Domino impetrandum pro regenda Ecclesia tot difficultatibus obnoxia.

Caput II.

De Nuntio Apostolico.

74 .—Nuntius Apostolicus fovet, secundum normas a Sancta Sede receptas, relationes inter Sedem Apostolicam et civile Gubernium apud quod legatione stabili fungitur.

In territorio sibi assignato advigilare debet in Ecclesiarum statum et Romanum Pontificem de eodem certiores reddere.

75 •—Praeter has duas ordinarias potestates, alias plerumque facultates, etiam extraordinarias, obtinet a Sancta Sede eidem commissas.

76 .—Omnes igitur Episcopi, Praelati, sacerdotes ac fideles eundem sincere diligant, libenter audiant, obsequentissimo animo prosequantur. ¹

¹ Can. 267

77 .—In commercio epistolarum cum Sancta Sede, liberum cuique est litteras directe, aut per tramitem Nuntiaturae Apostolicae, ad Curiam Romanam mittere. Multoties autem expedit Nuntium Apostolicum certiore reddere, ut ipse quoque, si velit, negotia tractanda et expedienda suscipiat.

Caput III.

De Episcopis.

78. —Episcopi sunt Apostolorum successores atque ex divina institutione peculiaribus ecclesiis praeficiuntur quas cum potestate ordinaria regunt sub auctoritate Romani Pontificis, qui eosdem libere nominat.¹

Jus ipsis et officium est gubernandi dioecesim tum in spiritualibus tum in temporalibus cum potestate legislativa, judiciaria, coactiva ad normam sacrorum canonum exercenda."

79. —Episcopi sive residentiales sive titulares gaudent facultatibus in can. 349 § 1 n. 1 expressis, ob eorum personalem dignitatem. Quare:

1.0 Eaedem facultates non competunt Vicario generali; nec licet Episcopis eas per modum actus communicare sacerdotibus suae ditionis.^{1 2 3}

2.0 Non licet Episcopis communicare habitualiter presbyteris suae ditionis potestatem benedicendi rosaria, etc. cum

¹ Can. 329 §§ 1 et 2

² Can. 335 § 1

³ S. Poenit. Apost., 10 Nov.

applicatione indulgentiarum, observatis ritibus ab Ecclesia praescriptis.¹

80 .—Ab accepta authentica notitia peractae canonicae provisionis, Episcopi sive residentiales sive titulares fruuntur privilegiis de quibus in can. 239 § 1 nn. 5-6, ritibus tamen ab Ecclesia praescriptis."

Haec postrema verba "ritibus ab Ecclesia praescriptis" ita sunt intelligenda, ut quoties *peculiaris* formula in libris liturgicis praescribatur, ea debeant uti Episcopi in sacris benedictionibus, v. gr. in erectione *Viae Crucis*; sed quando *peculiaris* formula in libris liturgicis non praescribitur, possunt pia objecta benedicere solo crucis signo, quin teneantur adhibere formulam communem, neque eam quae in Rituali continetur sub titulo "Benedictio ad omnia".^{1 2 3}

81 .—Ex benigna concessione Summi Pontificis Pii XII, occasione jubilaei sui Episcopatus, potestas elargiendi indulgentias a Codice juris canonici Episcopis data, ita augetur, ut Archiepiscopi *ducentorum dierum*, Episcopi autem residentiales *centum dierum* indulgentiam in posterum concedere queant.⁴

82—A capta dioecesis possessione, Episcopi residentiales habent jus concedendi indulgentias intra proprium territorium etiam religiosis exemptis et in eorum ecclesiis.⁵ Item elevandi in omnibus ecclesiis suae dioecesis thronum cum baldachino;

¹ S. Poenit. Apost., 18 Jul. 1919

² Can. 349 § 1, n. 1

³ Cfr. Pont. Comm. ad Cod. Can. auth. interpr., die 12 Martii 1929 (Acta Apost. Sedis, XXI, pag. 170).

⁴ S. Poenit. Apost., 20 Jul. 1942.

⁵ Pont. Comm. ad Cod. Can. auth. interpr., 6 Dec. 1930

quem cedere possunt alii Episcopo, dummodo hic non sit eorum subditus aut Auxiliaris.¹

83. —Circa potestatem legislativam, haec sunt pro praxi animadvertenda:

i .o Episcopi possunt suis legibus definire ea, quae a jure communi minus definita et sancita sunt; dummodo ne quid juri communi aut ejus menti adversetur.

2.0 Nequeunt Episcopi prohibere ea quae a jure vel a superiore expresse permittuntur, neque permittere ea quae ab illis prohibentur.

3.0 Quae a Conciliis plenariis vel provincialibus decreta sunt, post eorum legitimam promulgationem, Episcoporum particularium potestati legislativae non subjacent nisi ad normam decr. 13.

4.0 Tam in Synodo dioecesana quam extra eam dare possunt leges, quae statim a promulgatione obligant, nisi aliud in ipsis caveatur; modus autem promulgationis ab ipsis Episcopis determinatur.

84. —Observantiam legum ecclesiasticarum Episcopi urgeant; nec in jure communi dispensare possunt, nisi ad normam can. 81.

Advigilent ne abusus in ecclesiasticam disciplinam irrepant, praesertim circa administrationem Sacramentorum et Sacramentalium, cultum Dei et Sanctorum, praedicationem verbi Dei, sacras indulgentias, implementum piarum volun-

¹ S. C. Rit., 26 Nov. 1919.

tatum; curentque ut puritas fidei ac morum in clero et populo conservetur, ut fidelibus, praecipue pueris ac rudibus, pabulum doctrinae christianae praebetur, ut in scholis puerorum ac juvenum institutio secundum catholicae religionis principia tradatur.¹

85 .—In poenis decernendis “meminerint Episcopi aliique Ordinarii se pastores non percussores esse, atque ita praeesse » sibi subditis oportere, ut non in eis dominantur, sed illos tanquam filios et fratres diligant elaborentque ut hortando et monendo ab illicitis deterreant, ne ubi deliquerint, debitis eos poenis coercere cogantur; quos tamen si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis servanda praeceptio ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et patientia, cum saepe plus erga corrigendos agat benevolentia quam austeritas, plus exhortatio quam comminatio, plus caritas quam potestas; sin autem ob delicti gravitatem virga opus erit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate severitas adhibenda est, ut sine asperitate disciplina, populis salutaris ac necessaria, conservetur et qui correcti fuerint, emendentur aut, si resipiscere noluerint, ceteri, salubri in eos animadversionis exemplo, a vitiis deterreantur.⁵⁵”

86 .—Missae ab Episcopis residentialibus pro populo applicandae sunt quae canone 339 enumerantur, salvis peculiaribus induitis a Sancta Sede obtinendis.

¹Can. 336 §§ 1 et 2. ²
Qn. 2214 § 2.

87. —Ad normam can. 340 et subsequendum decretorum, omnes Episcopi Insularum Philippinarum tenentur singulis quinquenniis ab anno 1950 computandis, relationem Summo Pontifici facere super statu dioecesis sibi commissae, servatis sequentibus normis:

1.0 Relatio exhibenda est S. Congregationi Consistoriali, secundum formulam ab eadem die 4 Nov. 1918 promulgatam;

2.0 In eadem relatione Sancta Sedes edocenda est de adimpletione Instructionis S. Congregationis de Sacramentis, 27 Dec. 1930, circa scrutinium candidatorum ante collationem primae tonsurae, necnon antequam ad ordines minores aut majores promoveantur.

3.0 Praeterea in alia relatione ad S. Congregationem Concilii eadem occasione mittenda, accurate referendum est de catechetica institutione in dioecesibus, juxta quaesita proposita in decreto *Provido sane*, 12 Jan. 1935, quae respiciunt pueros (in paroeciis, in scholis et collegiis catholicis, ac in scholis publicis) et adultos.

88. —Singulis trienniis, pariter ab anno 1950 computandis, omnes harum regionum Ordinarii locorum tenentur relationem S. Congregationi de Seminariis facere super statu sui Seminarii, secundum formulam a decreto *Quo uberiore*, die 2 Febr. 1924 praescriptam.

89. —Ordinarii locorum, in fine cujuslibet amii et per tramitem Nuntiaturae Apostolicae: a) certiozem reddant S.

Congregationem Sti. Officii de numero et specie dispensationum elargarum super disparitate cultus et mixta religione; b) mittant ad S. Congregationem Consistorialem relationem de numero et specie aliarum dispensationum matrimonialium, quas vigore Facultatum quinquennialium elargiti fuerint.

Sub initio autem cujuslibet anni, debent mittere ad S. Congregationem de Sacramentis: a) relationem de numero eorum qui intra annum praeteritum confirmati fuerunt a ministris extraordinariis, necnon de ratione ab iis adhibita in suo munere perfungendo; b) relationem separatam de observantia Instructionis diei 29 Junii 1941 circa normas a parochis servandas in peragendis canonicis investigationibus, antequam nupturientes ad ineundum matrimonium admittant,¹ et de peractis visitationibus ibidem praescriptis, necnon relationem de activitate tribunalium.

Unoquoque demum anno scholari exeunte, S. Congregationi de Seminariis referre tenentur de usu facultatis permittendi ut pueri ac puellae una simul instituantur et erudiantur in scholis, deque aliis quibuscumque quae ad hanc rem per tinere videantur.

90. —Q uamvis Episcopi harum regionum possint singulis quinquenniis visitationem *ad limina* instituere, eo ipso anno quo relationem quinquennalem exhibere tenentur; nihilominus satis est ut alternis quinquenniis, id est singulis decenniis, Ur-

¹ Can. 1020.

bem petant, tum ad Beatorum Apostolorum Petri et Pauli sepulcra veneranda, tum ut Romano Pontifici se sistant.

91. —Ad sanam et orthodoxam doctrinam conservandam, bonos mores tuendos, pravos corrigendos, pacem, innocentiam, pietatem et disciplinam in populo et clero promovendam ceteraque pro ratione adjunctorum ad bonum religionis constituenda, tenentur Episcopi obligatione visitandae quotannis dioecesis vel ex toto vel ex parte, ita ut saltem singulis quinquenniis universam vel ipsi per se vel, si fuerint legitime impediti, per Vicarium Generalem aliumve lustrent.^{1 2}

Concilium commendat ut fideles ad visitationem pastoraalem per sacram missionem praeparentur.

92. —Dispiciat Episcopus circa laicos an omnes parochiam Sacrum diebus de praecepto audiant et Sacramenta frequentent; an sint qui matrimonium extra Ecclesiam inire attentaverint; an sint concubinari; an sint qui legata pia non exsequantur; an domestica disciplina parentum in educandis liberis diligens, pia et devota sit; an pueri et adolescentes scholas catholicas frequentent; aliaque Episcopus investiget quae pro sua prudentia et obligatione putet se indagare debere.

93. —Ad res quod attinet videre debet an adsint vestes, libri, calices, patenae, corporalia reliquaque hujus generis sacra supellex ad altaris ministerium et ad divina officia necessaria; an haec omnia munda et integra serventur; an Ecclesiae libri, vetera scripta et documenta rite custodiantur; an eorum

¹ Can.

² Can. 343

reddi possit ratio quae in inventarium relata sunt; an parochus habeat quinque libros paroeciales praescriptos a canone 470, et utrum hos libros rite conscribat ac diligenter asservet; an Sanctissimum Sacramentum et olea sacra ea munditia et cura qua oportet custodiantur, et tempore debito renoveantur; an tabernaculum rite exstructum sit; an coram tabernaculo in quo Sanctissimum Sacramentum asservatur una saltem lampas, nutrienda oleo olivarum aut, si in casu necessitatis ab ipso Ordinario permittitur, alio oleo quantum fieri potest vegetali, vel cera apum, diu noctuque continenter luceat; an adsit fons baptismalis, anque benedicatur singulis annis in vigiliis Paschatis et Pentecostes.

94. —Quoad loca pia, Episcopus visitet atque inspiciat intra limites tamen a jure statutos ecclesias et omnes earum partes, oratoria, monasteria et conventus monialium et sororum, atque domos religiosorum canonicae visitationi subjectas, coemeteria, hospitalia, orphanotrophia aliaque aedificia sacra vel ecclesiastica, ut cognoscat an eo cultu, nitore et ordine serventur qui domum Dei et aedificia sacra et pia decent; videat an bona fiduciaria vel legata ad pias causas recte administrantur, et fideliter in eum usum cui sunt destinata impendantur; et si quid restituendum, reparandum, reconcinandum sit, jubeat id ab eis ad quos pertinet quamprimum fieri.

95. —Expleta visitatione, Episcopus jubeat sua decreta et instructiones in libro peculiari scriptis consignari. Ipse au-

tem curet accuratam visitationis relationem in Curiae registis asservare.

96. —Munus fidei catholicae praedicandae commissum praecipue est Episcopis pro suis dioecesibus, iique tenentur officio praedicandi per se ipsi Evangelium nisi legitimo prohibeantur impedimento.¹

97. —Sedulo curent singuli Episcopi ut, decimo saltem quoque anno, Synodus dioecesana celebretur; in qua de iis tantum agendum est, quae ad particulares cleri populique dioecesis necessitates vel utilitates referuntur.^{1 2}

Caput IV.

De Episcoporum conventibus.

98. —Concilium magnopere exoptat ut, juxta potestatem a Sancta Sede factam, singulis annis, antiquiore e Metropolitibus reliquos Archiepiscopos, Episcopos, Praelatos *nullius*, Administratores Apostolicos, Vicarios et Praefectos Apostolicos necnon Vicarios Capitulares opportune convocante, conveniant omnes praefati Insularum Philippinarum Ordinarii locorum ut, collatis consiliis, videant quaenam in eorum territoriis agenda sint ut bonum religionis promoveatur.

99. —Mature speciatim deliberent quaenam sit conditio rei christianae in his regionibus, quaenam et quo fructu ab acatholicis agantur, quaenam leges a civili potestate condantur aut ferendae proponantur adversus jura Ecclesiae, etc., atque unanimi actione ea determinent quae ad fidelium profectum et Ecclesiae utilitatem aptiora videantur.

¹ Can.

² an. 356 §

100. —Praesulum Ordinariorum in Insulis Philippinis conventum, qui *Catholic Welfare Organization* vulgo audit quique Constitutionibus a Sacra Congregatione Consistoriali recognitis atque approbatis regitur, locorum Ordinarii pro viribus sustineant atque foveant; utpote qui pro fine habet malis hujus temporis aptiora remedia opponere, necnon virium catholicarum conjunctionem procurare, atque ita Ecclesiae apostolatam in his regionibus promovere.

101. —In memoriam omnium revocantur verba quibus Leo XIII in Const. *Quae mari sinico*, 17 Sept. 1902, Ordinarios omnes harum regionum paterne admonebat: “Volumus etiam Metropolitanum inter et suffraganeos integra esse semper sanctae amicitiae et caritatis vincula, eaque officiis mutuis, consiliorum communicatione atque episcopalibus praesertim coetibus pro locorum intervallis frequentius agendis, arctius in dies firmari et obstringi. Maximarum enim utilitatum parens est atque custos animorum concordia”.

102.—Ordinarii locorum uniuscujusque provinciae ecclesiasticae, singulis annis aut saltem altero quoque anno conveniant.

Caput V.

De Praelatis nullius.

103. —Praelati qui in his regionibus praesunt territorio proprio, separato ab omni dioecesi, cum clero et populo, dicuntur Praelati *nullius*, nempe dioecesis, eorumque ecclesiae dignitate praelatitia gaudent.

104. —Assumendi ad praelaturam *nullius* iisdem qualitatibus ornati esse debent, quas jus commune in Episcopis requirit; nominantur autem et instituuntur a Romano Pontifice,

atque, absque ulla benedictionis recipiendae obligatione, praelaturae possessionem capiunt ad normam can. 334 § 3.

105. —Praelatus *nullius* easdem potestates ordinarias easdemque obligationes cum iisdem sanctionibus habet, quae competunt Episcopis residentialibus in propria dioecesi.

Si caractere episcopali non sit ornatus, praeter alia munera quae in can. 294 § 2 describuntur, potest quoque ecclesias et altaria immobilia consecrare. Facultate tamen administrandi confirmationem valide uti nequit, nisi intra fines proprii territorii, erga solos fideles sui ritus et durante munere tantum.¹

Eidem, quamvis caractere episcopali carenti, licet indulgentias *centum dierum* in suae jurisdictionis locis concedere.^{1 2}

106. —Quod attinet ad Vicarii Generalis constitutionem, cancellarii et consultorum designationem, aliorumque Curiae officialium institutionem, Praelati *nullius* aequiparantur Episcopis residentialibus. Quare ea quae in hoc Concilio de Episcopis dicuntur eisdem applicari debent, nisi ex natura rei vel sermonis contextu aliud constet.

Caput VI.

De Vicariis et Praefectis Apostolicis.

107. —Vicarii et Praefecti Apostolici fideliter exsequi curent, tum ea quae a jure communi in can. 293-311 statuuntur, tum normas a Sacra Congregatione de Propaganda Fide pro suo respectivo territorio speciatim datas.

108. —Facultas indulgentias concedendi Vicariis ac Praefectis Apostolicis per can. 294 impertita, ita aucta est a

¹ Can. 782 §§ 3 et 4.

² S. Poenit. Apost., 20 Jul.

Summo Pontifice Pio XII occasione sui jubilaei Episcopalis ut eisdem liceat indulgentiam *centum dierum* deinceps concedere.¹

109 .—In suis relationibus cum Superioribus Institutorum religiosorum quibus missiones concreditaе sunt, prae oculis habeant Instructionem a S. Congregatione de Prop. Fide die 8 Dec. 1929 datam; in qua jura et officia tum Superioris ecclesiastici tum Superioris religiosi in locis missionum, pressius definiuntur ac declarantur, atque principia juris quae hanc materiam regunt paulo magis illustrantur.

110 .—Territorium sibi commissum in quasi-paroecias dividere studeant. Ne autem praepropere et inconsiderate in hac re procedant, ob oculos habeant atque accurate observent Instructionem a S. Congregatione de Prop. Fide die 25 Jul. 1920 editam.

111.—Singulis quinquenniis ab anno 1950 computandis, obligatione tenentur S. Congregationi de Prop. Fide exhibendi plenam et accuratam relationem scriptam super statu missionis sibi commissae, juxta quaesita ab eadem S. Congregatione die 16 Apr. 1922 proposita.

Imo sub cujusque anni exitu ad eandem S. Congregationem mittere debent elenchum seu numerum adultorum conversorum, baptizatorum tam infantium quam adultorum, annuaeque Sacramentorum administrationis, una cum aliis notatu dignioribus.

112 .—Consilium missionariorum, de quo in can. 302, locum tenere potest Consilii administrationis et Capituli quoad

¹ S. Poenit. Apost., 20 Jul. 1942

alienationem vel locationem bonorum ecclesiasticorum, ad
normam can. 1532 et 1521.
i

113 .—Vicarii et Praefecti Apostolici, ubi primum in territorium suum advenerint, Pro-vicarium vel Pro-praefectum idoneum deputare debent, qui eis in munere succedat ad normam can. 309.

Praeterea potestas ipsis concessa est a S. Congregatione de Prop. Fide, 8 Dec. 1919, eligendi *Vicarium delegatum*, cum omnibus facultatibus quae competunt Vicariis Generalibus Episcoporum ad normam can. 368.

Licet autem munus Pro-vicarii et Pro-praefecti plane distinctum sit a munere Vicarii delegati, procul dubio haec duo possunt in una eademque persona consistere.

114.—Sede vacante, jurisdictio Vicarii delegati expirat, et totum regimen assumit Pro-vicarius aut Pro-praefectus Apostolicus, nisi Sancta Sedes aliter providerit.

Qui Vicarius delegatus est idemque Pro-vicarius aut Pro-praefectus Apostolicus, sede vacante, cessat quidem a Vicarii delegati, non autem a Pro-vicarii aut Pro-praefecti munere.

115 .—Vicariis, caractere episcopali auctis, privilegia honorifica competunt quae jus concedit Episcopis titularibus, praeter alia a Summo Pontifice eisdem specialiter concessa.

Ad Praefectos Apostolicos quod attinet, quamvis ipsi non nominentur in canone Missae nec in praeconio Sabbati Sancti aut in precibus ferialibus officii divini, ne in proprio quidem

¹ Praeses Comm. Pont. ad Cod. Can. auth. interpr., 26 Jan. 1919.

territorio,¹ christi fi deles tamen eorum annulum devote osculantes partialem *quinquaginta dierum* indulgentiam lucrari possunt.“

Caput VII.
De Curia dioecesana.

116 .—In singulis dioecesibus sit domus episcopalis, dignitati pontificali conveniens et prope ecclesiam cathedralem, quantum fieri potest, sita; in eaque, exclusa ordinaria habitatione personarum saecularium, Episcopus habitualem suam figat residendam, nisi ratione officii alio avocetur, vel in casibus a jure permissis legitime absit.^{1 2 3}

117 .—Enitendum est ut Curia dioecesana rite in unaquaque dioecesi constituatur eminens munditie archivorum, apta documentorum dispositione, assiduitate ac diligentia officialium in munere fideliter implendo.

118 .—Praeter Vicarium Generalem et cancellarium seu secretarium, habeantur in quavis dioecesi examinatores synodales et parochi consultores.

Atque in dioecesibus, nunquam desiderentur officialis, promotor justitiae, defensor vinculi, iudices synodales aliique quorum opera requiratur.

119 .—Quae de Vicario Generali in cann. 366-371 statuta sunt a Codice juris canonici, ea sibi applicent Vicarii Generales nostrarum dioecesium. Cumque dispositiones contrariae Cone. Manii ani I atque Const. *Quae mari sinico* abrogatae sint a can. 6 n. 1, pro certo habeant propriam jurisdictionem

¹ S. C. Rit., 8 Mart. 1919.

² S. Poenit. Apost., 21 Nov. 1945.

³ Cone. Manii. I, n. 999.

expirare omnibus modis enumeratis in can. 371, ac nominatim per sedis episcopalis vacationem.

120. —Satagat impense Vicarius Generalis ut singulari caritate, humilitate et obedientia cum Episcopo conjunctus sit, atque in omnibus quae ad ejus officium pertinent juxta ipsius Episcopi mentem agat, eoque inconsulto nihil, praeter ea quae sunt ordinariae administrationis, exsequatur.

121. —In diuturnis Episcopi absentis, ipse Vicarius Generalis potest ampliore potestate a proprio Episcopo muniri.

122. —Episcopi in praxim deducere conentur ea omnia quae de cancellario constituendo, de tabulario dioecesano erigendo, de secreto archivo habendo cum duabus clavibus inter se diversis, de documentis rite custodiendis eorumque inventariis tempestive conficiendis, sapienter in can. 372-384 statuuntur.

123. —Cautissime in archivo secreto custodiantur:

1.0 Scripturae quae natura sua secretum expostulant, utputa quae pertinent ad vitam et mores clericorum, ad remotiones ab officio, ad suspensiones ex informata conscientia, etc.

2.0 Scripturae quae ex lege positiva in archivo secreto sunt servandae, quales sunt: a) Dispensationes ab irregularitate vel impedimento in foro interno non sacramentali concessae quoad ordines suscipiendos;¹ b) Dispensationes in foro interno extrasacramentali concessae super impedimento matrimoniali occulto^{1 2}; c) Liber et documenta matrimoniorum con-

¹ Can. 991

² Can.

scientiae;¹ d) Licentiae concessae ad contrahendum matrimonium cum impedimento mere civili; e) Documenta causarum criminalium in materia morum.^{1 2}

124. —Hujusmodi archivum secretum quotannis sedulo recognoscendum est, ne servantur absque vera necessitate ea quae alicujus famae nocere possunt.

Quare singulis annis comburenda sunt documenta causarum criminalium, quae a decennio sententia condemnatoria absolutae sunt, retento brevi summario facti cum textu sententiae definitivae.

Pariter comburenda sunt documenta causarum criminalium in materia morum, quarum rei vita cesserint; absque ulla necessitate servandi summaria facti aut textum sententiae prolatae.³

125 .—Ordinarii sedulo inquirent scripturas aliaque documenta forte alio distracta, dispersa aut deperdita tempore calamitatis; et quaelibet necessaria remedia adhibeant ut eadem scripturae ac documenta archivo restituantur aut, quatenus fieri possit, alio legitimo modo suppleantur.

126 .—Examinatores synodales operam suam diligenter navent in examinibus ad provisionem paroeciarum et in processibus administrativis de parochorum amotione, de clericis non residentibus aut concubinariis, de parochis negligentibus in adimplendis officiis paroecialibus, servantes altum secretum praescriptum in can. 2144.

Sed Episcopus potest eorum aut aliorum opera uti pro examinibus ad ordines, ad licentias audiendi confessiones et

¹ Can. 1107.

² Can. 379 § 1.

³ Pont. Comm. ad Cod. Can. auth. interpr., 5 Aug.,

praedicandi, necnon pro examinibus subeundis saltem per integrum triennium expleto studiorum cursu.

127.—Parochi consultores interveniunt in remotione et translatione parochorum ad normam cann. 2147-2167.

128.—In universis Curiis episcopalibus censores ex officio adsint, qui edenda cognoscant atque munus ad normam can. 1393 fideliter obeant. Qua in re:

1.0 S. Congregatio Sancti Officii locorum Ordinarios et Superiores religiosos enixe hortatur, ut in curanda praevia censura librorum caute omnino procedant et licentiam edendi ne concedant, nisi postquam a censoribus idoneis, *in re yere peritis*, ad examen deputatis sententiam faventem habuerint.¹

2.0 Ordinarii ad praevidiam librorum foliorumque pietatis censuram doctos et prudentes viros deputent, qui in suo obeundo munere nedum doctrinae puritati, sed et sacri cultus gravitati consulant; iidemque Ordinarii licentiam edendi hujusmodi scripta ne concedant nisi maxima adhibita cautela.^{1 2 3}

129.—Consilium a vigilantia a S. Pio X Encycl. *Pascendi* praescriptum ad praecavendos Modernismi errores, pariter in singulis dioecesibus constituendum est, donec aliter a Sancta

⁰
Sede provisum fuerit. ³

130.—Quilibet Ordinarius in sua civitate episcopali Consilium administrationis bonorum temporalium instituat; quod constet praeside, qui est ipsemet Ordinarius, et duobus vel pluribus viris idoneis, juris etiam civilis, quantum fieri potest, peritis.

¹ S. C. S. Off., 29 Mart.

² S. C S. Off., 17 Apr. 1942.

³ S. C S. Off., 22 Mart. 1918.

Si necessitas postulet, aliqui viri laici una cum clericis cooptari possunt in Consilium administrationis, dummodo, praeter peritiam in rebus gerendis, optima fama gaudeant atque probatae sint fidei et virtutis.

131 .—Omnes et singuli munus aliquod in Curia dioecese gerentes, probe noscant jura et officia proprio muneri adnexa, illudque magna sedulitate ac fidelitate obeant, omni personarum acceptione deposita, Ecclesiae atque ipsius dioecesis bonum unice quaerentes.

132 .—Erectiones, nominationes, dispensationes, facultates atque gratiae concessae, omnia denique Curiae episcopalis acta scripto consignentur, retento authentico actorum exemplari aut rite saltem apud tabularium adnotato eorum brevi sumario.

Caput VIII.

De Capitulo canonicorum et de consultoribus dioecesis.

133 .—Concilium maxime exoptat ut ad praxim reducantur ea quae de canonicorum Capitulo constituendo tum in Metropolitanis tum in aliis Cathedralibus ecclesiis in Const. *Quae mari sinico*, ij Sept. 1902, III, commendantur.

134 •—In dioecibus in quibus cathedrale canonicorum Capitulum constitui nequeat ad normam Codicis juris canonici, hic defectus suppleatur coetu consultorum dioecesanorum; qui sint sacerdotes, pietate, moribus, doctrina et prudentia commendati, gerendarum rerum usu conspicui, e clero saeculari delecti.

Licet autem religiosi ac saecularizati a munere consultoris dioeciesani generatim excludantur, juxta declarationem authenticam die 29 Jan. 1931 datam, in dioeciesibus tamen alicui religioni commissis bene possunt hoc munus gerere ejusdem religionis alumni.

135 .—Debent esse saltem sex; sed in dioeciesibus, ubi pauci sunt sacerdotes, quatuor sufficiunt. Nominantur autem, munus gerunt atque removentur, ad normam cann. 423-428.

136 .—Votum seu consilium consultorum Episcopus exquirat ad normam juris, maxime in rebus gravioribus et in quolibet arduo negotio gubernationis dioeciesis.

Res tractandas et documenta ad eas pertinentia jam ante cum iis communicet Episcopus, et in ipsa consultatione ita res proponat ut non appareat in quam sententiam inclinet.

Consultores de consensu vel consilio requisiti debent ea qua par est reverentia, fide ac sinceritate sententiam suam aperire.

In librum referatur quid deliberatum et quae rationes in utramque partem allatae sint; acta autem in sequenti sessione legantur.

137 .—Si consensus consultorum a jure exigatur, Episcopus contra eorumdem votum invalide agit.

Si consilium tantum consultorum requiratur, per Codicis verba ex. gr. *de consilio consultorum, audito Capitulo*, etc., satis est ad valide agendum ut eosdem audiat. Quamvis autem Episcopus nulla obligatione teneatur ad eorum votum, etsi concors, accedendi, multum tamen concordibus eorumdem suf-

¹ Cfr. Can. 1532 § 3; 1533; 1541 § 2, n. 1-2.

fragiis deferat, nec ab eisdem sine praevalenti ratione, suo iudicio aestimanda, discedat.¹

138.—Sede vacante, nisi adfuerit Administrator Apostolicus vel aliter a Sancta Sede provisum fuerit, ad coetum consultorum dioecesanorum regimen dioecesis devolvitur.

Qui coetus, intra octo dies ab accepta notitia vacationis, debet Vicarium Capitularem qui loco sui dioecesim regat et, si fructuum percipiendorum ei munus incumbat, oeconomum unum vel plures fideles ac diligentes constituere.

Coetus consultorum quantocius de morte Episcopi et deinde electus in Vicarium Capitularem de sua electione, Nuntium Apostolicum atque Sanctam Sedem certiores faciant.

139.—In reliquis accurate serventur cann. 429-444, de coetu consultorum intelligendo ea quae ibi de Capitulo canonicorum statuuntur.

Caput IX.

De vicariis foraneis.

140 .—Munus vicarii foranei non est ulli determinatae paroeciae aut loco alligatum, sed libere ab Episcopo committi potest cuilibet sacerdoti praesertim parrocho idoneo, etiam juniore vel in parvis oppidis degenti, idque ad tempus sibi bene visum.

141 .—Vicario foraneo, inter ceteras, sequentes competunt facultates:

1.0 Permittendi ut sacerdotes sui districtus ad breve tempus seu infra hebdomadam absint, justa de causa ac relicto substituto;

¹ Cfr. Can. 428; 454 § 3; 1234 § 1; etc.

2.0 Permittendi ut, justa interveniente causa, parochi Missam pro populo alia die applicent ab ea qua jure adstringuntur;

3.0 Indulgendi ut sacerdotes sui districtus binas Missas die festo de praecepto celebrent, quoties, prudenti ipsius judicio, id requiratur ne notabilis fidelium pars Missa privetur;

4.0 Publicationibus matrimonialibus substituendi, intra proprium territorium, publicam ad valvas ecclesiae affixionem nominum contrahentium, per spatium saltem octo dierum ita tamen ut, hoc spatio, duo dies festi de praecepto comprehendantur;

5.0 Absolvendi a reservatis episcopalibus, cum facultate subdelegandi toties quoties confessarios sui districtus, si et quando pro urgentiore aliquo determinato casu ad ipsum recurrant;

6.0 Elargiendi administratoribus bonorum ecclesiasticorum licentiam ad inchoandam vel contestandam litem, si res urgeat; qui statim Ordinarium loci de concessa licentia certiozem reddere debet;

7.0 Recipiendi et transmittendi delictorum denuntiationes, servato convenienti secreto.

142. —Praeter ea autem quae vi muneris eidem competunt ad normam can. 447, sequentia ipsi injungimus:

1.0 Ut semel saltem in mense, visitet sacerdotes sine socio degentes in paroeciis sui districtus aut, in casu verae impossibilitatis, saltem per litteras aut per alios ejusdem districtus sacerdotes cum ipsis communicet, ne scilicet diu priventur solatio et auxilio aliorum.

2.0 Videat quoque ne dissidia inter sacerdotes sui districtus, vel inter parochos et parochianos emergant; quae jam orta repererit, pro viribus componere satagat. In dubiis adhibeat

fratrum suorum sacerdotum consilium, quos ad rem dilucidandam aptiores noverit; in gravioribus autem ad Episcopum recurrat.

3.0 Statim atque audierit aliquem sui districtus parochum graviter aegrotare, operam det ne spiritualibus ac materialibus auxiliis honestoque funere, cum decesserit, careat. Inquirat etiam de aegroti testamento et de Missarum obligationibus forte persolvendis. Curet praeterea ne vasa sacra, libri parociales, documenta aliaeque res omnes quae ad ecclesiam pertinent, depereant aut asportentur.

4.0 Meliore quo fieri poterit modo, parochiis vacantibus ad tempus provideat, usquedum scilicet Episcopus de ipsarum paroeciarum cura non definiat, servato tenore facultatum ad hoc a proprio Ordinario acceptarum.

5.0 Singulis annis, tempore et modo a proprio Episcopo statutis, relationem scriptam eidem exhibeat de singulis, quae sive hic sive in memorato can. 447 § 1 recensentur.

143. —Abusus, quocumque nomine honestentur, nullos vicarii foranei irrepere sinant; existentes autem, sua interposita auctoritate, tollant. Sin autem mala offenderint graviora, quam quae ipsi per se tollere valeant, Episcopum consulant; et si res ex iis fuerit quae moram non patiatur, Episcopum continuo certiore reddant, interim opportune providentes.

Tenantur ipsi secretum servare circa monitiones errantibus datas et circa informationes de vita et moribus sacerdotum proprii districtus ad Episcopum transmissas, ne inefficax evadat eorum zelus, aut contra leges prudentiae et justitiae peccent.

Caput X.

De parochis.

144. —Harum regionum paroeciae generatim sunt amovibiles; expedit, in praesentibus locorum ac personarum peculiaribus adjunctis, principaliores saltem paroecias inamovibiles erigere.

Omnes praeterea sunt liberae collationis, atque ab Ordinario loci ad normam can. 459 absque concursu conferuntur. Sed ad paroecias religiosis concreditas Superior, cui ex constitutionibus id competit, sacerdotem suae religionis praesentat Ordinario loci, qui eidem institutionem concedit.

Paroeciae autem inamovibiles, aliave beneficia inamovibilia, quae vacaverint per promotionem beneficiarii ad episcopatum; aut per obitum beneficiarii in Urbe; aut per obitum, renuntiationem vel translationem beneficiarii qui sit familiaris, etiam honoris tantum, Summi Pontificis; itemque ea quae invalide ob simoniam collata fuerint, et illa quibus Romanus Pontifex per se vel per delegatum manus apposuit renuntiationem admittens, aut beneficiarium promovens, transferens aut beneficio privans; Sanctae Sedi reservantur, et invalide ab inferioribus conferuntur.¹ Collatio paroeciarum reservatur insuper, etiam si agatur de paroeciis amovibilibus, quoties id in pontificio diplomate expresse dicatur, ut solet fieri in bulla electionis ad episcopatum.

Parochi autem saeculares rite nominati ac instituti, nequeunt a sua paroecia amoveri nisi servatis normis de quibus in cann. 2147-2161, neque ad aliam paroeciam transferri nisi ad normam cann. 2162-2167.

¹ Gfr. Can. 1434, 1435.

Sed parochi ad religiosam familiam pertinentes, juxta can. 454 § 5, sunt semper ratione personae amovibiles, ad nutum tam Ordinarii loci monito Superiore, quam Superioris monito Ordinario, aequo jure, non requisito alterius consensu.

145. —Quo melius saluti animarum prospiciatur ac bono paroecianorum provideatur, Concilium vehementer exoptat atque Ordinariis locorum enixe commendat ut limites paroeciarum coarctentur, et parochiae quarum territorium amplissimum est, data opportunitate, dividantur quantum circumstantiae locorum ac personarum sinant.

In novis paroeciis missionariis alienigenis committendis, clara conventio ab Episcopo ineatur cum eorum Superioribus ad certum temporis spatium valitura, ita ut bono spirituali fidelium aliquo modo subveniatur donec clerus dioecesanus incrementum accipiat.

146. —Curam animarum parochus obtinet a momento captae possessionis; et ante possessionem aut in ipso possessionis capiendae actu, fidei professionem atque juramentum adversus Modernismum edere debet juxta formulam a Sede Apostolica praescriptam. Nemo possessionem paroeciae sibi collatae propria auctoritate capiat; missio enim in possessionem, seu institutio corporalis, ad loci Ordinarium spectat, qui ad id alium ecclesiasticum virum delegare poterit.

147. •—Missio in paroeciae possessionem fiat secundum modum legitima consuetudine apud nos receptum, atque in *Manuali parochorum* descriptum, nisi justa ex causa Ordinarius loci ab eo modo seu ritu expresse in scriptis dispensaverit; quo in casu, haec dispensatio locum tenet captae possessionis ad normam can. 1444.

Possessio paroeciae etiam per procuratorem, speciale mandatum habentem, capi potest; dummodo litterae nominationis parochi coram populo in ecclesia congregato legantur.

148.—Parochus obligatione tenetur residendi in domo paroeciali prope suam ecclesiam; loci tamen Ordinarius potest justa de causa permittere ut alibi commoretur, dummodo domus ab ecclesia paroeciali non ita distet ut paroecialium perfunctio munerum aliquid inde detrimenti capiat.¹

149.—Domus paroecialis sit propria beneficii parochialis atque distincta a domo consanguineorum et saecularium personarum; in eaque omnis diligentia adhibeatur, tum ad omnia munda et decenter composita servanda, tum ad ea quae luxum aut mundanam ostentationem sapiunt excludenda. Imagines autem atque sculpturae minus honestae, necnon ephemerides obscenae, itemque libri ac folia periodica moribus aut spiritui sacerdotali periculosa, procul ab eadem expellantur.

150.—Si cui facultas concedatur cohabitandi cum propria matre aut sorore, diserte eidem ab Ordinario loci significetur quatenus domus paroecialis partes sint habitationi sacerdotum exclusive reservandae; parochus autem invigilet, ut ea quae ab Episcopo decernantur sedulo ab omnibus observentur.

151.—Officina paroecialis prope januam in inferiore domus parte, in quantum fieri potest, constituatur; ac pro viribus curetur ut locus ibidem adsit ad excipiendas audiendasque

¹ Can. 465 § 1.

feminas destinatus, talis ut vere patens dici possit, atque ita dispositus ut quidquid in eo agitur a transeuntibus facile conspiciatur.

152 •—Ut ministerium suum fructuose exerceant, sedulo caveant parochi ab inordinato parentum et cognatorum amore, qui multorum malorum in Ecclesia seminarium extat. Domum igitur paroecialem a consanguineis et affinibus invadi ne tolerant; sed ab uno tantum vel altero viro propinquo, fama, vita moribusque spectatissimo, praesertim in quo deprehendantur signa sacerdotalis vel religiosae vocationis, associentur.

153.—Parochi in domo paroeciali nullatenus, nec ad tempus, habitare sinant personas connubio junctas. Unde, si quis ex parochi consanguineis, apud eum habitans, matrimonium iniverit, illico et incunctanter e domo parochiali discedat.

154.—Districte quoque parochis interdiciamus ne, quocumque. sub praetextu, habitationes, quomodocumque separatas in domo parochiali, sive propinquis sive extraneis locent, nisi Episcopus certior factus omnibusque mature perpensis, nihil obstare judicaverit.

155•—Parochus nunquam coram propinquis, si quos apud se habeat, de gregis regimine, de ecclesiae negotiis, de parochianorum defectibus aut vitiis verba faciat; nec ullo modo toleret ut, sive directe sive indirecte, sacris muneribus gerendis sese immiscentes, bono parochiae regimini impedimenta inferant.

156.—Omni diligentia suis famulis, aedituis pariter ac aliis in ecclesia inservientibus, ipsi parochi invigilent; quos, nisi

bonum exemplum praebeant, incunctanter dimittant, ne forte quae perperam isti egerint, tribuantur sacerdoti.

157 .—Libros paroeciales diligenter parochus scribat et authenticum eorum exemplar ad Curiam mittat ad normam can. 470 § 3.

Habeat praeterea quisque parochus *diarium* seu librum ad res in paroecia gestas sedulo adnotandas; in eoque, absque ulla propriae opinionis vel iudicii indicatione, acta praecipua e documentis collecta fideliter et simpliciter referat.

158 .—Tabularium seu archivum habeat, ubi libri ad regesta parochialia pertinentes, inventarium bonorum paroeciae, Episcoporum epistolae, aliaque documenta necessitatis vel utilitatis causa servanda, in loco tuto contra pericula incendii aut corruptionis aut furti ponantur. Armarium seu scrinium omnino clausum ac obseratum pariter habeat, in quo scripturae secreto servandae cautissime custodiantur.

Nemini licet, sub ulla ratione vel praetextu, librum, documentum aut scripturam aliudve quidquam e paroeciali archivo efferre; ea autem quae, Episcopo petente, ad Curiam dioecesanam mittantur, ab ipso parochi in scriptis sygraphis adnotentur.

Ad archivi locum, necnon ad cubiculum ubi negotia aguntur parochialia, extraneis quibuslibet omnino aditus intercludatur.

159 .—Ut parochus ultra hebdomadam a paroecia abesse possit, sive ratione vacationum sive propter aliam legitimam causam, indiget Ordinarii loci scripta licentia, et vicarium sub-

stitutum sui loco relinquere tenetur ab eodem Ordinario probandum; quod si parochus sit religiosus, indiget praeterea consensu Superioris, et substitutus tum ab Ordinario tum a Superiore probari debet.

Si parochus repentina et gravi causa discedere atque ultra hebdomadam abesse cogatur, quamprimum per litteras Ordinarium commonefaciat, ei indicans causam discessus et sacerdotem supplementem, ejusque stet mandatis.

Pro absentia quae hebdomadam non excedat, sufficit ut parochus justam causam habeat, licentiam petat atque obtineat a vicario foraneo, ac loco sui substitutum a seipso designatum et a vicario foraneo approbatum relinquat.

Imo, quoties per unum aut alterum tantum diem abesse debet, praehabita vicarii foranei venia, satis est ut proximiorum praemoneat parochum, qui in ejus absentia fidelium necessitatibus provideat, nisi peculiaria rerum adjuncta verum substitutum postulent.

160.—Parochi qui absque gravissima causa vel Ordinarii loci scripta licentia a paroecia abfuerint, nec sacerdotem substitutum ibidem reliquerint, ita ut fideles Missae Sacrificio priventur die dominica vel festo de praecepto, suspendantur a divinis.

161 .—Volumus autem parochos ceterosque animarum rectores pro indubio habere, residentiae legi minime congruere si ipsi saepius extra parochiam, etsi ad breve tempus, discurrant; quippe qui sui muneris plura praetermittant necesse est, non sine magno animarum detrimento. Hinc prohibemus ne animarum curam quocumque modo habentes,

nimia frequentia sese conferant non solum in propinquas, verum etiam in dissitas parochias vel ecclesias, occasione et praetextu festivitatum quae ibidem celebrantur.

162. —Permittimus tantum, ut ex vicinioribus parochiis vel missionibus ii ad tales festivitates accedant, quibus opus fuerit pro sermone faciendo, pro confessionibus audiendis, pro Missa debita cum solemnitate celebranda praemonito tamen vicario foraneo.

163. —Sedulo curent Episcopi ut frequenter a parochis visitentur vici seu pagi (*barrios*) intra limites propriae paroeciae exstantes; utque ibidem, statis diebus ab ipsis parochis propositis atque a se approbatis, Missae Sacrificium celebretur ac doctrina christiana populo regulariter tradatur.

164. —E selectis riteque instructis pueris, conentur parochi et alii animarum curatores coetum efformare qui eis adjumento sit, sive in Missis aliisque liturgicis functionibus devote celebrandis, sive in sacris concentibus tempore divinorum officiorum habendis. Singularem eosdem pueros sollicitudine prosequantur, ut in pietate bonisque moribus sint excellentes ac germina divinae vocationis sacerdotalis aut religiosae, si quae habeant, magni faciant et impense foveant.

165. —Missae a parochis pro populo applicandae sunt quae canone 466 enumerantur, salvo peculiaribus induitis a Sancta Sede obtinendis.

166. —Legitime absens parochus potest Missam pro populo applicare, vel ipse per se in loco in quo degit, vel per sacerdotem qui ejus vices gerat in paroecia.

Caput XI.

De vicariis paroecialibus.

167.—Vicarius substitutus, qui constituitur ad normam decr. 159, locum parochi tenet in omnibus quae ad curam animarum spectant. Cessat autem a munere ipso facto reditus parochi, cui rationem reddere debet administrationis suae.

168.—Vicarii cooperatores seu coadjutores, ad normam can. 476 § 1 designandi, semper pro universa paroecia, nunquam autem pro determinata ejusdem parte, constituantur.

Curent praeterea locorum Ordinarii ut, quoties plures coadjutores in una eademque paroecia adsint, unus ex ipsis munus primi vicarii cooperatores gerat atque, vacante paroecia, ejusdem regimen assumat donec oeconomus rite constituatur, juxta ea quae in can. 472 praescribuntur.

169.—In nominandis vicariis cooperatores, respectivi parochi sunt semper audiendi, non obstante consuetudine contraria etiam centenaria alicubi forte vigente.

Ordinarii locorum igitur parochi sententiam explorent ante nominationem vicarii cooperatores e clero saeculari; item- que Superiores quibus id ex constitutionibus competat, antequam vicarios cooperatores religiosos Ordinario loci praesentent.

170.—Vicarius cooperator obligatione tenetur in paroecia residendi, neque e domo exeat nisi de parochi licentia saltem praesumpta. Hoc enim postulat recta seu bona administratio paroeciae. ¹

¹ S. C. Cone., 13 Nov. 1920.

171 .—Nisi aliud expresse caveatur, vicarius cooperator debet ratione officii parochi vicem supplere eumque adjuvare in universo paroeciali ministerio, excepta applicatione Missae pro populo.

Sed non potest ratione officii matrimoniis valide assistere; ad hoc enim expressa indiget delegatione, quae vi can. 1096 generalis esse valet pro paroecia cui addictus est.¹

172 .—Parochi meminerint, coadjutores ipsorum fratres et sodales esse, eadem ac ipsi sacerdotali dignitate insignitos. Eos igitur reverentia ac caritate prosequantur: de eorum defectibus nunquam cum laicis colloquantur, neque coram istis eos corripiant. Curent praeterea, ut quae suis vicariis animadvertenda, commendanda ac praecienda sunt, per se ipsos, nunquam vero per domesticos, multo minus per consanguineos, injungant.

Meminerint pariter se teneri suis coadjutoribus suppeditare, non solum ea quae pro victu et habitatione domi requiruntur, sed etiam ea quae pro eorum honesta sustentatione sunt necessaria.

173 .—Vicarii vero cooperatores diligant parochum ut patrem, ejus monitiones demisso animo suscipiant, ejusque consilia in dubiis fideliter expostulent. Uniformem cum eo agendi rationem studiose servent. Nihil in gravibus negotiis, nisi eo assentiente, aggredi praesumant; nihil absque ejus licentia, praesertim ipso invito, innovent.

Vicarii obedientiam parochi praestent fideliter. Quod si plus aequo gravatos se senserint, ipsi parochi fiducialiter rem ^{1 2}

¹ Praeses Pont. Comm. ad Cod. Can. auth. interpr., 13 Sept. 19^{^^}; et Pont. Comm., 31 Jan. 1942.

² Cone. Manii. I, n. 338.

exponant; si opus fuerit, vicario foraneo vei Ordinario rem postea delaturi.

174.—Meminerint vicarii cooperatores seu coadjutores, ad aedificationem plebis maxime conferre vinculum pacis ipsos inter et parochos. Abstineant igitur diligenter de parochi defectibus verba facere, imo constanter sollicitos de illius honore se ostendant. Quod si forsan apud parochianos conquestus circumferantur aut quaedam factio ipsi paracho adversetur, ne foveant unquam infensos censores, sed magis ac magis omni sollertia patri venerationem filiorum vindicent.¹

175.—Singulis saltem hebdomadis, parochus cum suis coadjutoribus deliberet de rebus in suis ministeriis gestis, nec non de praecipuis operibus in paroecia promovendis. Nomina autem fidelium serio decumbentium sibi invicem regulariter communicent, ut omnes infirmi sacramentis tempestive muniri ac saepius ab ipsis visitari queant.

Caput XII.

De cappellanis piarum domorum.

176. —Justis et gravibus de causis utentes potestate nobis a can. 464 § 2 concessa, religiosas familias et pias domos proprium cappellanum habentes, a parochi loci cura subducimus, licet de paroeciae territorio sint et a jure non exemptae.

Nomine *piarum domorum* amplissimo sensu hic intelligimus instituta omnia operibus religionis, educationis aut caritatis destinata, etsi mere civilia ut hospitalia, carceres, collegia,

¹ Cone. Manii. I, nn. 340-342.

etc., dummodo cappellanum ab Ordinario loci designatum, aut saltem approbatum, penes se habeant.

177 .—In monialium domo, confessarius ordinarius vel qui ejus vices gerit, jus et officium habet Eucharisticum Viaticum et extremam unctionem ministrandi aegrotis professis, novitiis, aliisque ibidem diu noctuque degentibus.

Jus autem monialium exsequias peragendi, pertinet ad cappellanum, et non ad parochum.¹

178 .—In domibus religionis laicalis non exemptae, tam virorum quam mulierum, sive juris pontificii sive juris dioecesis, Ordinarii loci est sacerdotem a sacris designare et a concionibus probare.

Sacerdotes hujusmodi seu cappellani:

1.0 Possunt divina officia etiam solemnia in oratorio semipublico domus religiosae celebrare;

2.0 Benedictionem illius sacrae suppellectilis, quae ad normam legum liturgicarum benedici debet antequam ad usum sibi proprium adhibeatur, impertire possunt pro suis dumtaxat oratoriis;

3.0 Sub auctoritate Ordinarii loci servatisque legitimis statutis, debent curare seu advigilare ut divina officia ordinate in oratorio celebrentur, onera fideliter adimpleantur, sacrae suppellectilis conservationi et decori prospiciatur; et ne quidpiam fiat quod sanctitati loci ac reverentiae domo Dei debitae quoquo modo repugnet;

4.0 Facultate condonandi uti nequeunt, absque Superioris vel Antistitae religiosae assensu.”^{1 2}

¹ Pont. Comm. ad Cod. Can. auth. interpr., 31 Jan. 1942.

² Can 1338 § 3.

5-0 Jus et officium habent Viaticum et extremam unctionem ministrandi per se vel per alium aegrotis professis, novitiis, aliisve in religiosa domo diu noctuque degentibus causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmæ valetudinis.

6.0 Jus pariter ipsis competit funerandi professos, novitios, postulantes aliasque personas in religiosa domo diu noctuque degentes, quæ ibidem moriantur.

179.—Cappellani collegiorum et scholarum instituendæ juventuti inservientium, quæ a religiosis sodalibus moderantur, sibi applicent ea omnia quæ in decreto præcedenti dicuntur de cappellanis in domibus religionis laicalis non exemptæ.

180 •—In hospitalibus, orphanotrophiis, senum asyils aliisque similibus institutis, cappellano ab Ordinario loci designato, aut saltem approbato, hæc licent:

1.0 Quoad infantes expositos aut ibidem ortos baptizandos, servare canones 773, 775;

2.0 Sacrum Viaticum atque extremam unctionem infirmis vita periclitantibus ibidem degentibus administrare;

3.0 Exsequias peragere eorum omnium, qui supremum diem in ipsis institutis caritatis obeant.

4.0 Nequit autem matrimonio assistere, absque prævia parochi aut Ordinarii loci delegatione in singulis casibus obtinenda.

5.0 Approbante Ordinario loci, potest quoque libros aptos habere ad baptismum, confirmationem, matrimonium vel mortem adnotandam.

181.—Cappellanus carceris vel instituti sontibus corrigendis destinati, dummodo ab Ordinario loci rite designatus aut approbatus fuerit, jure potest:

i-o Baptismum, Viaticum et extremam unctionem incarceratis administrare;

2.0 Praehabita parochi aut Ordinarii loci delegatione, matrimonium celebrare quoties conjuges aut saltem unus ex ipsis carcere detineatur;

3.0 Detentorum exsequias peragere, eorumque cadavera sepelire;

4.0 Libros ab Ordinario loci probatos habere, ad baptismum, confirmationem, matrimonium aut obitum incarceratorum inscribendum.

182.—Cappellani associationum piarum sedulo observent, tum ea quae a Codice juris canonici in diversis canonibus decernuntur, tum ea quae in statutis legitime approbatis propriae associationis habentur.

183.—Ad mentem can. 467 § 2, Concilii Patres magnopere exoptant ut foveatur unio fidelium cum parochis suis, atque ubique paroecialis vita vigeat. Quare ecclesiarum rectores et cappellani, ne avertant fideles ab ecclesia paroeciali ut suam frequentent; quin immo, moneant fideles sibi commissos ut frequenter, ubi commode id fieri possit, ad suas paroeciales ecclesias accedant, ibique divinis officiis intersint et verbum Dei audiant.

Caput XIII. De Vicario Castrensi.

184.—Ad consulendum spirituali curae nostrorum militum, Summus Pontifex Pius XII die 8 Decembris 1950 erexit in Insulis Philippinis Vicariatum Castrensem, qui constat Vicario Castrensi, Cappellano Majori et Cappellanis militum.

185 .—Qui Vicarii Castrensis munus gerit ordinaria et personali praeditus est jurisdictione, tum fori interni tum fori externi, in spirituale bonum commissorum fidelium exercenda.

186 .—Vicarii Castrensis jurisdictione ad omnes Cappellanos militum, ad omnes copias terrestres, maritimas et aereas, actu stipendia merentes, et ad publicae securitatis custodes extenditur; necnon ad omnes utriusque sexus fideles, sive laicos sive alicui Religioni adscriptos, qui habitualiter in militaribus domibus vel nosocomiis degunt aut deserviunt.

187 .—Jurisdictione Vicarii Castrensis non est exclusiva, ideoque personas, stationes ac loca militibus reservata ab Ordinarii loci potestate minime subtrahit, neque exemptionem ullam aut excardinationem a propria dioecesi parit.

Cumulatur igitur cum jurisdictione Ordinariorum locorum; ita tamen, ut in stationibus seu locis propriis vel militibus assignatis, primo et principaliter Vicarius Castrensis jurisdictionem exercent, secundo et quoties Vicarius Castrensis e jusque Cappellani absint vel desint, semper autem jure proprio, Ordinarii locorum et parochi, inchoatis opportunis consiliis cum Vicario Castrensi et militum ducibus.

188 .—Curent Ordinarii locorum et Superiores majores religiosorum ut quosdam de suo clero sacerdotes pietate, moribus ac ingenio praeclaros pro cura spirituali militum seligant, eorumque nomina Vicario Castrensi proponant.

189 .—Vicarius Castrensis Cappellanum majorem et Cappellanos militum, ab Ordinariis propriis praesentatos vel commendatos, opportune nominat. Idem tenetur certiores facere Ordinarios locorum, de Cappellanis qui in eorum dioeceses mittuntur vel ab eisdem abscedunt.

190. —Libros baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum et defunctorum, secundum usum ab Ecclesia in his Insulis probatum conscriptos, Vicarius Castrensis custodiendos statuatur vel in Archivo generali Vicariatus Castrensis vel in Archivo, si adsit, Cappellanorum militum, imposita tamen obligatione ad Curiam Vicariatus Castrensis eorundem librorum authenticum exemplar transmittendi in fine cujuslibet anni, ad normam can. 470 § 3.

191. —Vicario Castrensi facultas est conficiendi *Ordinem Divini Officii recitandi Sacrique peragendi* ad usum Cappellanorum militum quatenus adjuncta suadeant, sartis tectisque communibus Ecclesiae legibus de hac re latis.

192. —Vicarius Castrensis de actis ac de statu Vicariatus, tertio quoque anno, Sacrae Congregationi Consistoriali relationem exhibere tenetur.

Caput XIV.

De cappellanis militum.

193. —Qui Sacerdotes in officium Cappellani militum cooptantur, “insignis sanctitatis fulgore prae luceant, sintque digni ministri Christi, fideles dispensatores mysteriorum Dei, efficaces Dei adjuvatores ad omne opus bonum instructi, ita ut impigre paroeciale quasi munus perficiant vocationis afflatu incitati, et quod praecipuum est, pro animabus militent ut tanquam viva e forma Christi apostolatus relucescat.

194. —Optimi expertique ad officium Cappellani militum seligantur etiam Religiosi sacerdotes, servatis tamen peculia-¹

¹ Pius XII, adhort. *Menti Nostrae*, 23 Sept. 1950.

ribus normis pro iisdem datis a Sacra Congregatione de Religiosis; qui vero, si fieri potest, locis destinentur ubi ipsorum Religionis domus habeatur.

195.—Cappellani habitum ecclesiasticum apud nos receptum deferent in Missae celebratione aliisque sacris functionibus peragendis. Extra hos casus ac perdurante tantum munere Cappellani, militares vestes induant adhibito semper peculiari signo ecclesiastici officii.

196.—Unusquisque Cappellanus militum in exercenda cura animarum sibi a Vicario Castrensi commissarum, meminerit se adstringi muneribus et obligationibus parochorum, congrua congruis referendo.

197 .—Ut autem complendae divinae voluntatis voto et desiderio moveantur Cappellani, oportet ut spiritus orationis minime in eis languescat vel torpeat. Adsidium iis praebeant alimentum, cum Eucharisticum Sacrificium devote actum, tum ea omnia quae, diuturno usu comprobata, quam maxime eo adducunt ut hominum animi a culpis abstineant, et virtutes solidiores appetant; inter quae spiritualia exercitia principem obtinere locum omnibus est compertum.

198.—Apostolatus formae rationesque, per Cappellanos apte instructos et conformatos, provehantur quae hodie ob peculiare christiani populi necessitates tanti sunt momenti tantaeque gravitatis.

199 .—Studeant Cappellani militum collationibus seu conferentiis interesse quae habentur, ad normam can. 131, in dioecesi in qua commorantur.

200 .—Ad matrimonium subditorum quod attinet, admissim servetur praescriptum can. 1097 § 2, juxta quem “pro regula habeatur ut matrimonium coram sponsae parrocho celebretur nisi justa causa excuset”; et accurate omnes expleantur actus qui ad normam juris celebrationem matrimonii praecedere et subsequi debent.

201. —Cappellani majoris est Vicarii Generalis officium et munus gerere. Praeterea, deficiente quacumque ex causa Vicario Castrensi, administrationem ad interim Vicariatus Castrensis Cappellanus major assumet.

202. —Omnes Cappellani militum, quoad ecclesiasticam disciplinam, potestati subjiciuntur Ordinarii loci, in quo actu versantur; cui in casibus urgentioribus, et quoties Vicarius Castrensis providere non poterit, fas erit in eos animadvertere etiam canonicis sanctionibus, monito confestim Vicario Castrensi-

Titulus IV.
DE RELIGIOSIS.

Caput I.

De religiosis in genere.

203 .—Ea quae de religiosis in hoc titulo statuuntur, sunt etiam intelligenda, congrua congruis referendo, de societatibus sive virorum sive mulierum in communi viventium sine votis.

204 .—Ordinarii locorum omni conatu in adiutorium sodales Ordinum et Congregationum religiosarum tum virorum tum feminarum advocare studeant, et Institutis religiosis omnimodo faveant, cum eorundem opere ac laboribus insufficiens cleri saecularis numerus suppleri possit.

205 .—Omnes religiosi ac religiosae persuasum habeant, se in laborando pro bono animarum in hac vineae Domini parte, ubi admodum pauci operarii inveniuntur, magnum caritatis opus exercere atque bonum proprii Instituti religiosi efficaciter promovere.

206 .—“Curent Superiores atque Antistitae ut religiosi subditi, a se designati, praesertim in dioecesi in qua degunt, cum a locorum Ordinariis vel parochis eorum ministerium requiritur ad consulendum populi necessitati, tum intra tum extra proprias ecclesias aut oratoria, illud, salva religiosa disciplina, libenter praestent.”¹

¹ Can. 608 § 1.

207.—Juxta Instructionem a S. Congr. de Relig. die 25 Nov. 1929 datam ad supremos Moderatores et Moderatrices religiosarum laicarum familiarum:

1.0 Tempore postulatus ac novitiatus, ita tyrones utrius- que sexus christianam doctrinam recolant atque penitius edoceantur, ut unusquisque frater et unaquaeque soror eam non solum memoriter teneat, sed etiam rite explicare queat;

2.0 Nullus frater nullaue soror ad vota nuncupanda admittatur, absque praevio examine, quo constet de sufficienti ejusdem doctrinae christianae cognitione;

3.0 Post tyrocinium, omnes religiosi alumni, qui in scholis primariis publicis et privatis doctrinam christianam pueris ac puellis explanaturi sint, tum in ipsa catechesi, tum in ratione eam pueris proponendi ita instituantur, ut examen coram Ordinario vel iudicibus ab eodem delegatis sustinere valeant;

4.0. Si vero non in scholis, sed in paroecia, religiosi viris et feminis munus committatur pueros puellasve doctrinam christianam docendi, hi sibi ab Ordinarii Curia comparare curent idoneitatis documentum.

208 .—In Congregationibus religiosis juris pontificii pro quibus secundus annus novitiatus praescribitur, indultum apostolicum requiritur ut annus canonicus novitiatus, de quo in can. 555 § 1 n. 2, transferri possit in secundum novitiatus annum.¹

209. —Innixa principiis in epistola apostolica Benedicti XV *Maximum illud*, 30 Nov. 1919, et in Instructionibus S. Congr. de Prop. Fide contentis, enixe omnibus sacerdotibus ac religiosiis alienigenis seu extraneis commendamus ut, labo-

¹ Pont. Comm. ad Cod. Can. auth. interpr., 12 Febr. 1935.

rantes in his regionibus, “non patriae quae hic est, sed patriae quae sursum, cives adjicere” studeant, neque “alios quaestus velint facere quam animarum”; ut in eis omnes videant “ministros religionis quae nulli est nationi extranea”, nec unquam dent ullam occasionem existimandi religionem catholicam “propriam cujusdam externae nationis esse”.

Vitent igitur “patrii sermonis propagandi studium”, abstineant omnino a promovendo adjuvandoque commercio sive cum patria propria sive cum aliis regionibus, nunquam usus harum gentium cum usibus americanorum aut euro- paeorum comparando parvipendant, “in commentariis quae de rebus suarum missionum vulgantur, studium appareat Dei regnum tantum dilatandi”.

210 .—Prae oculis insuper habeant verba Leonis XIII in Const. *Quae mari sinico*: “Ceterum religiosi viri (et idem dici debet de mulieribus) quotquot in Philippinis versantur, illos summopere revereri atque observare meminerint, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam; et arcissimo concordiae et caritatis foedere cum saeculari clero conjuncti, nihil antiquius habeant, quam in opus ministerii, in aedificationem Corporis Christi sociatis studiis, vires omnes intendere”.

211 •—Ut labores apostolici majore ordine fructuque uberiore fiant, omnes sacerdotes ac religiosi utriusque sexus, ex aliis regionibus huc advenientes, conentur:

1.0 Notitiam acquirere morum harum regionum eisque, quantum per rerum adjuncta licet, sese accommodare;

2.0 Linguam vernaculam in regione in qua versentur magis usitatam addiscere et bene callere, ut non solum collo-

quia cum singulis miscere, verum etiam facile verba ad coetum facere doctrinamque christianam explicare possint;

3.0 Harum ecclesiarum traditiones probatas, necnon methodum peculiarem has gentes evangelizandi easve in domestica societate constituendi ab antiquis missionariis adhibitam ne respuant elateque despiciant, sed potius pio ac reverenti cultu consuetudines illas christianas prosequantur, ita ut nihil, inconsultis locorum Ordinariis, innovare audeant.

Caput II.

De religiosis viris.

212. —“Religiosi omnes proprium suae religionis habitum deferant tum intra tum extra domum, nisi gravis causa excuset, iudicio Superioris majoris aut, urgente necessitate,, etiam localis.”¹

Qui juxta suas constitutiones habitu proprio carent, sed inter clericos numerantur, clero saeculari sese accommodare debent; eorumque Superiores observantiam eorum quae decr. 37-40 praescribuntur, suos inter subditos promoveant atque opportune urgeant.

213. —Religiosi omnes, nisi e contextu sermonis vel e natura rei aliud constet, subsunt decretis ac declarationibus nostris sub decr. 43-56 positis.

Etsi regulares exempti ad normam can. 615 jurisdictioni Ordinarii loci non subsint, ejusdem tamen praescripta observare tenentur quae ordini publico consulunt, ne scandalum pariant atque Ecclesiae noceant in territorio ubi commorantur. ^{1 2}

¹ Can. 596.

² Can. 14 § 1, n.

214 .—Circa decretum a Sacris Congregationibus de Religiosis et de Seminariis die 25 Jul. 1941 datum, sequentia prae oculis habeantur:

1.0Antequam in Seminarium admittantur qui, quocumque titulo, ad familiam religiosam pertinuerint, Ordinarius ad S. Congregationem de Seminariis recurrat, quae de iudicio suo Ordinarium certiore faciet, peractis iis omnibus quae casus ferat.

2.0Item antequam familiae religiosae adscribantur qui, quavis de causa, e Seminario egressi sint, Superiores religiosi ad S. Congregationem de Religiosis recurrant, quae de suo iudicio Superiores certiores faciet, peractis iis omnibus quae casus ferat.

3.0Decretum non respicit eos, qui e Seminario vel Collegio exeant ad amplectendam vitam perfectionis religiosae in aliquo Instituto religioso.¹

4.0Neque respicit eos, qui admitti petunt qua *laici* seu conversi in aliquo Instituto.

5.0Respicit eos, qui jam antea e Seminario exierint et, post aliquam in saeculo commorationem, aliquod Institutum religiosum ingredi cupiunt ut suo tempore ad sacerdotium promoveri queant.

215 •—Praeter ea quae de clausura sive papali sive non papali jure communi in can.597-599, 604-606 statuuntur, haec sunt sedulo observanda:

1.0Hospitia et stationes, seu domus quaelibet cujuscum- que Instituti religiosi his in Insulis existentes, in quibus unus alterve missionarius stabiliter commoratur, clausurae legi sub-

¹ S. C. de Relig., 25 Jun. 1942.

jiciuntur; atque in eis, separata saltem aedis pars religiosorum habitationi exclusive reservanda est.

2.0 In singulis domibus et stationibus, partes clausurae legi obnoxiae aut habitationi religiosorum reservatae patenter semper indicentur.

3.0 Locus ad excipiendas audiendasque feminas destinatus, quoad fieri possit, semper in inferiore domus parte, prope januam in aula vere patenti constituatur.

4.0 Pro more in Philippinis jamdudum recepto, officia domestica janitoris, coqui, hortulani, etc. in ipsa religiosa domo gerenda, viris in omni casu, nunquam feminis committantur.

216. —Invigilent Superiores religiosi ut sui alumni, etiam extra domum, ea qua par est modestia et sedulitate, fidelibus bonum praebeant exemplum, ea omnia assidue fugientes, quae perfectioni religiosae, quam professi sunt et cui vitam componere debent, utcumque nocere possint.

Caput III.

De monialibus.

217. —Alacri ac reverenti animo suscipimus Constitutionem Apostolicam *Sponsa Christi* a Pio Papa XII datam die 21 Novembris 1950 “de sacro Monialium instituto promovendo”, eamque, ad normam Instructionis editae a Sacra Congregatione de Religiosis die 23 ejusdem mensis, in praxim deducere conabimur.

218. —Monialium nomine ad normam juris veniunt praeter religiosas votorum solemnium, illae etiam quae vota simplicia, perpetua vel temporaria, professae sunt in Monasteriis in quibus vota solemnia vel actu nuncupantur vel ex

instituto emitti deberent, nisi e contextu sermonis vel e rei natura aliud certo constet.

219 .—Peculiaris ratio vitae religiosae monasticae, quam Moniales fideliter sub rigida regulari disciplina colere debent, et ad quam ab Ecclesia destinantur, est vita contemplativa canonica*

Nomine vitae contemplativae canonicae intelligitur exterior disciplinae religiosae professio quae, sive ex clausura, sive ex pietatis, orationis et mortificationis exercitiis, sive denique ex laboribus quibus Moniales incumbere debent, in interiorem contemplationem ita ordinatur, ut ejusdem studio tota vita totaque actio et facile valeat et efficaciter debeat imbui.

Si vita contemplativa canonica sub rigida regulari disciplina habitualiter servari non possit, character monasticus haberi non potest.

220 .—Vota religiosa solemnna praecipuam notam efficiunt ex qua Monasteria mulierum, non inter Congregationes religiosas, sed inter Ordines regulares jure numerantur.

Monasteria omnia, in quibus vota tantum simplicia nuncupantur, votorum solemnium instaurationem impetrare possunt.

221 .—Constitutio *Sponsa Christi* pro omnium Monialium Monasteriis clausuram peculiarem praescribit, quae a clausura episcopali Congregationum differt, quaeque ex generali norma juris papalis est.

Clausura papalis Monialium in posterum duplex erit: *major*, quae Monasteriis reservatur in quibus, licet numerus Monialium imminutus sit, vota solemnna emittuntur et vita unice contemplativa ducitur; et *minor*, quae, ex regula, Monas*

teriis applicatur in quibus vita non unice contemplativa colitur, vel ubi Moniales vota tantum simplicia profitentur.

Quoad ambitum clausurae papalis sive *majoris* sive *minoris*, necnon quoad dispensationes concedendas et poenas a violentibus eandem incurrendas, serventur normae practicae in memorata Instructione Sacrae Congregationis de Religiosis collectae.

222. —Monasteria Monialium non solum sui juris sunt, sed etiam juridice distincta atque invicem independentia, nullis vinculis, praeter quam spiritualibus ac moralibus, inter se unita ac devincta, etsi eidem primo Ordini vel religioni jure sint subjecta.

Monasteriorum foederationes, quamvis regula generali non praecipiantur, tamen e Sede Apostolica valde commendantur, non solum ad mala et incommoda praecavenda quae ex plena separatione oriri possunt, sed etiam ad regularem observantiam vitamque contemplativam provehendam.

Constitutio tamen cujuslibet formae foederationis Monasteriorum Monialium vel confoederationis foederationum Sedi Apostolicae reservatur.

223. —Labor monasticus, cui etiam Moniales vitae contemplativae incumbere debent, his normis regitur:

i.o Cum temporales vitae necessitates, ex Divinae Providentiae ordinatione, adeo quandoque urgeant ut Moniales moraliter coactae videantur ad alios praeter consuetos labores quaerendos vel acceptandos, ad horaria modificanda, imo- etiam ad tempus labori dicatum forsitan augendum, sicut Christi fideles in similibus adjunctis, dispositionibus Divinae Providentiae omnes, qua verae religiosae, prompte ac humiliter sese subjiciant

2.0 Tamen non anxie vel leviter aut ex arbitrio fiat, sed prudenter quantum necessarium seu conveniens reapse demonstratur, harmoniam inter sensum fidelitatis litterae et traditionis ac filialem subjectionem Divinae Providentiae permissionibus ac ordinationibus simplici animo quaerentes.

3.0 His prae oculis habitis, quae disponenda videantur, ecclesiasticae religiosaeve auctoritati, juxta casus, subjiciantur.

224. —Superiores ecclesiastici et religiosi debent:

1.0 Omnibus modis fructiferum laborem Monialibus, quae ipso egeant, quaerere ac procurare, utendo etiam, si casus ferat, praeterquam aliis industriis honestis, commissionibus piarum mulierum aut virorum, imo caute et prudenter societatibus externis ad hoc constitutis;

2.0 Prudenter invigilare perfectioni et ordini laborum, atque justo pretio pro ipsis exigendo:

3.0 Operum laborisque diversorum Monasteriorum coordinationi ita diligenter consulere, ut ea sese mutuo adjuvent, suppleant, compleant, atque vel a longe absit quaelibet etiam aemulationis species.

Caput IV.

De sororibus votorum simplicium.

225 •—Licet Episcopis sit potestas novas Congregationes religiosas condendi juxta normas a S. Congregatione de Religiosis diebus 6 Mart. 1921 et 30 Nov. 1922 datas, eis tamen enixe commendamus ut Congregationes religiosas jam existentes fovere non desinant, atque a novis Institutis erigendis se

abstineant si Congregationes jam erectae fini intento satisfacere possunt.

226. —Pro viribus curent Antistitae ut, praeter testimonium recepti baptismatis et confirmationis a jure communi requisitum, omnes adspirantes, antequam admittantur, pariter exhibeant testimonium matrimonii canonice a suis parentibus contracti.

227. —Nisi jam aliunde notae sint adspirantes, quantum fieri potest, petantur a personis gnaris ac prudentibus informationes de earum valetudine, moribus, pietate, indole, aptitudine ad vitam religiosam, talentis, conditione familiae.

Magnopere etiam expedit exigere ab iis quae ad munus docendi in scholis destinantur, ut, jam ante earum admissionem, titulo aliquo academico potiuntur aut saltem studia omnia scholae sic dictae *High School* cum fructu absolverint.

228. —Stricta obligatio singulis religiosarum domibus seu respective unicuique religiosarum communitati dandi confessarium tam ordinarium quam extraordinarium, ad normam can* 520 et 521 urget, non solum in domibus formatis, sed etiam in domibus religiosis in quibus minus quam sex religiosae professae degunt.

Licet jure communi non determinetur tempus quo confessarius extraordinarius munus suum implere debeat, volumus ut ipse ad domum religiosam accedat, tum circa Quatuor anni Tempora juxta praxim jam receptam, tum etiam (si advocetur) tempore quo communitas religiosa spiritualibus exercitiis vacet. ¹

¹ Pont. Comm. ad Cod. Can. auth. interpr., 16 Jan. 1921.

229 .—Ex praescripto Codicis can. 594 § 1, in quavis religione vita communis accurate ab omnibus servanda est, etiam in iis quae ad victum, ad vestitum et ad suppellectilem pertinent.

Quo facilius hujus vitae communis observantia reddatur, Antistitiae necessaria non solum ad vitam, sed etiam ad labores, quantum poterunt, sororibus subditis materna cura suppeditent, iisque ne permittant ut illa sibi alia via procurent.

230 .—Praeter ea quae a jure communi can. 604 circa clausuram statuuntur, Concilium praecipit ut in singulis domibus Congregationum religiosarum sive pontificii sive dioecesani juris, etiam non formatis, sequentia adamussim serventur:

1.0 Officia domestica coquae, lotricis, infirmariae et similia feminis semper committantur, tam in domibus, quam in collegiis et scholis religiosarum;

2.0 Officia rhedarii, hortulani, fabrilignarii aliaque quae robustiores et fortiores requirunt, poterunt viris committi; dummodo hi certis tantum diei horis ad laborandum admittantur, vespere autem recedant, noctemque extra domus seu collegii septa transigant.

3.0 Quoties graves ob causas necessarium videatur intra septa viros tempore nocturno retinere, id ne toleretur nisi accedente Ordinarii loci licentia, ea tantum lege concedenda ut viri propriam habitationem extra domum religiosam seu scholam puellarum habeant.

4.0 Viri, quorum opera necessaria judicetur in sororum domibus, maturae sint aetatis, connubio quoad fieri possit juncti, pietate ac morum integritate commendati.

231 .—Nullo in casu licet sororibus pueros internos seu convictores habere, nisi in parva adhuc aetate versentur,

quamvis eorum mater vel soror in ipsa domo religiosa commoretur. Excipiuntur ab hac prohibitione orphanotrophia aliaque instituta similia a sororibus conducta.

Caveant sorores ne solae, seu absque socia, e domo exeant; neve solae itinera conficiant, aut in residentia permaneant, vel scholam separatam regant. Satagant praeterea ne post solis occasum extra domum, absque vera necessitate, maneant.

232 .—In memoriam earum sororum quibus cura rei familiaris incumbit revocamus, se debere, ad normam Constitutionum atque magna cum prudentia et diligentia, administrare bona temporalia communitatis; sedulo devitantes negligentiam et prodigalitem in re tanti momenti, a qua bonus status propriae domus aut Congregationis religiosae ipseque fructus laborum magnopere pendent.

233 .—Si agatur de actibus qui ordinariae administrationis modum excedant, prohibetur ne ulla domus religiosa aere alieno se gravari sinat, neve de bonis sive mobilibus sive immobilibus disponat, aut ullam rem alienet, nisi salvis propriis Regulis et Constitutionibus atque servato praescripto canonis 534.

234 .—In stipe quaeritanda seu eleemosynis per domos colligendis, accurate serventur can. 621-624 atque sequentes Concilii declarationes:

1.0 Moniales ordinis stricte mendicantis, eleemosynas in dioecesi, ubi earum monasterium est constitutum, per sorores externas quaerere valent de sola Antistitae licentia; extra dioecesim vero, indigent praeterea licentia scripto data ab Ordinario loci in quo eleemosynas colligere cupiunt.

2.0 Religiosae Congregationum juris pontificii, sine peculiari Sanctae Sedis privilegio, stipem petere prohibentur; quibus, si hoc privilegium impetraverint, opus erit praeterea

licentia scripto data ab Ordinario loci ubi quaestuarum volunt, nisi aliter in ipso privilegio cautum fuerit.

3.0 Religiosae Congregationum juris dioecesiani stipem quaerere nequaquam possunt sine licentia scripto data, tum ab Ordinario loci in quo sita est earum domus, tum ab Ordinario loci in quo stipem quaerere cupiunt.

4.0 Licentia obtenta omni vi caret, elapso tempore in concessione Sanctae Sedis aut Episcopi determinato. Licentia autem ab Ordinario loci data absque temporis determinatione, censetur intra annum tantum valere.

5.0 Non licet Antistitae stipem colligendam committere, nisi professis aetate animoque maturis, nec unquam uni, sed regulariter binis sororibus incedentibus.

6.0 Quaestuantes autem ea qua decet humilitate, modestia, munditiae eniteant; loca profana aut professioni minime congrua penitus vitent; pietatem sincere foveant, atque spiritualia exercitia in religione solita fideliter adimpleant; extra propriam domum versantes, non nisi in pia aut religiosa mulierum domo, quantum fieri potest, noctem transigant.

7.0 Caveant quaestuantes ne ultra mensem a propria domo absint, si intra dioecesim, aut ultra bimestre, si extra dioecesim eleemosynas colligere debent.

Caput V.

De Institutis saecularibus.

235 .—Societates clericales vel laicales, quarum membra, christianae perfectionis adquirendae atque apostolatam plene exercendi causa, in saeculo consilia evangelica profitentur, proprio nomine *Institutorum saecularium* veniunt atque ab Episcopis condi possunt, servatis normis in Const. *Provida Mater Ecclesia*, 2 Febr. 1947, a Summo Pontifice Pio XII traditis.

Titulus V.
DE LAICIS.

Caput I.

De fidelium associationibus in genere.

236. —Fideles laude digni sunt, si sua dent nomina associationibus ab Ecclesia erectis vel saltem commendatis; socii autem bene edoceantur oportet, de obligatione qua ante omnia tenentur Dei et Ecclesiae praecepta observandi.

237. —Pro locorum ac traditionum diversitate, singulis Ordinariis relinquitur eas, quas opportuniore aut magis pro suo territorio utiles judicent, pias associationes erigere. Caveant autem ne nimis in eodem loco multiplicentur, et ne novae erigendae aliis jam florentibus detrimento sint.

238. —Ex Codicis can. 711 § 2 praescripto, locorum Ordinarii curare debent ut in qualibet paroecia instituantur confraternitates Sanctissimi Sacramenti ac doctrinae christianae; quae, legitime erectae, ipso jure aggregatae sunt eisdem Archiconfraternitatibus in Urbe a Cardinali Urbis Vicario erectis.

Loco confraternitatis Sanctissimi Sacramenti, ubi peculiaria adjuncta id non sinant, institui potest pia unio vel sodalitas Sanctissimi Sacramenti, quae tamen ipso jure non erit Archiconfraternitati aggregata.¹

239. —Ad excitandum et enutriendum spiritum missionalem inter fideles, summopere commendamus Pontificia

¹ Pont. Comm. ad Cod. Can. auth. interpr., 6 Mart. 1927.

Opera a Sancto Petro Apostolo, Propagationis Fidei et Sanctae Infantiae, necnon Opus pro Afris a servitute liberandis et ad doctrinam Christi adducendis.

240. —Juxta can. 686, nulla in Ecclesia recognoscitur associatio quae a legitima auctoritate ecclesiastica erecta vel saltem approbata non fuerit; jus autem associationes erigendi vel approbandi pertinet, praeter Romanum Pontificem, ad loci Ordinarium, exceptis illis quarum instituendarum jus, ex apostolico privilegio, aliis reservatum est; sed in hoc postremo casu, semper requiritur ad validitatem erectionis consensus Ordinarii loci scripto datus, nisi aliud in ipso privilegio caveatur.

Ut haec regula adamussim servetur, nulla pia associatio a parochis instituatur, quin ad Ordinarium loci recurratur, ut ab eo erectio, vel approbatio, vel consensus, vel saltem legitimae erectionis recognitio obtineatur.

241. —Quaevis associatio sua statuta habere debeat, a Sede Apostolica vel ab Ordinario loci examinata et approbata,¹ singuli associationum moderatores quamprimum curent ut, statuta rite exarentur pro associationibus quae eisdem careant, approbentur autem pro iis quae statutis nondum approbatis utuntur.

242. —Omnes associationes, etiam ab Apostolica Sede erectae, nisi speciale obstet privilegium, jurisdictioni subsunt et vigilantiae Ordinarii loci, qui ad normas sacrorum canonum eas invisendi jus habet et munus.^{1 2}

Huic vigilantiae Episcopi subsunt etiam associationes piae laicales ut Conferentiae S. Vincentii a Paulo, praesertim

¹ Can.

² Can.

si opus quod aggrediuntur Episcopi jurisdictioni sit obnoxium, v. gr. quoad instructionem religiosam in schola impertiendam.

Sedulo igitur ab omnibus observari debent praescriptiones, quae in singulis dioecesibus quoad visitationem, administrationem bonorum, curam fundationum, annuam rationem administrationis temporalis, fidelemque erogationem oblationum et eleemosynarum statuuntur.

243. —Nulli associationi eleemosynas colligere licet, nisi id aut statuta permittant, aut necessitas postulet et loci Ordinarii consensus accedat ac servetur forma ab eodem praescripta.

Ad eleemosynas extra territorium colligendas, uniuscujusque Ordinarii venia, scripto data, requiritur.

244. —Summo studio suadet Concilium ut inter Actionem Catholicam et pias associationes mutua benevolentia, concordia et cooperatio vigeat.

245. —Inhaerentes praescripto can. 684, fideles sollicitudini nostrae pastoralis commissos serio admonemus, ut sedulo “caveant ab associationibus secretis, damnatis, seditiosis, suspectis aut quae studeant sese a legitima Ecclesiae vigilantia subducere”.

Qua in re, praeter societatem massonicam aliasque ejusdem generis, quae etiam in his insulis sub diversis nominibus ut *Los Legionarios dei Trabdjo* inveniuntur, sequentes sunt prae oculis habendae ad normam recentium decretorum S. Congr. Sancti Officii: ¹ ²

¹ S. C. Cone., 13 Nov.

² Can. 691 §§ 3, 4.

1.0 Cum doctrinae, quas hodie theosophicas dicunt, componi nequeant cum doctrina catholica, non licet nomen dare societatibus theosophicis, earum conventibus interesse, ipsarumve libros, ephemerides, diaria, scripta legere.¹

2.0 Inter associationes damnatas recensendae sunt sic dictae *Young Mens Christian Association* (Y.M.C.A.) et *Young Women s Christian Association* (Y.W.C.A.)"

3.0 Neque licet catholicis interesse vel favere acatholicorum conventibus, coetibus, concionibus aut societatibus, quae eo spectant ut omnes christianum nomen utcumque sibi vindicantes, uno Religionis foedere consocientur.²

4.0 Idem dicendum est de consociatione vulgo *Amici Israel*.

Quoad societates quae ab omni religione praescindunt et inter nos *non sectariae* vocantur, stent mandatis Sanctae Ecclesiae.

246 •—Probe sciant fideles communismum esse materialisticum et antichristianum; communistarum autem duces, Deo veraeque Religioni et Ecclesiae Christi sese infensos esse ostendere, tum doctrina, tum actione sua.

Stricte igitur christifidelibus prohibetur:

1.0 Partibus communistarum nomen dare, vel eisdem favorem praestare;

2.0 Edere, propagare vel legere libros, periodica, diaria vel folia, quae doctrinae vel actioni communistarum patrocinantur, vel in eis scribere;^{1 2 3}

¹ S. C. S. Off., 18 Jul.

² S. C. S. Off., 5 Nov.

³ S. C. S. Off., 8 Jul.

3-° Liberos instituendos tradere associationibus eo spectantibus ut pueros puellasque imbuant principiis et institutione, quae materialismum sapiunt et mores christianos religionemque impetunt.¹

247. —Christifideles scienter et libere violantes prohibitiones decreti praecedentis, itemque pueri ac puellae quamdiu participes sunt associationum supra dictarum, ad Sacramenta recipienda admitti nequeunt.

Praeterea ipso facto incurrunt in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam:

i.° Christifideles, qui communistarum doctrinam materialisticam et antichristianam profitentur, et in primis qui eam defendunt vel propagant;

2.° Qui contra fidem vel christianos mores, pueros ac puellas docent."

Caput II.

De Actione Catholica.

248. —Magni ab omnibus fiat Actio Catholica, utpotc quod efficax sit medium ad vires nostras multiplicandas, atque ad vitam vere christianam in nostris urbibus et pagis stabiliendam aut redintegrandam.

249. —Omnes consociationes Actionis Catholicae, quocumque titulo designentur, sub omnimoda jurisdictione Hierarchiae et directa dependentia ab Ordinario loci apostolatuum suum exercent.

Sacra autem Hierarchia regimen Actionis Catholicae per Episcopalem Commissionem exercet.^{1 2}

¹ S. C. S. Off., 1 Jul. 1949, et 28 Jul. 1950.

² S. C. S. Off., 1 Jul. 1949, et 28 Jul. 1950.

Director Nationalis Actionis Catholicae a Sancta Sede designatur: ipse Consilium Nationale moderatur et statutorum observantiam urget; curat insuper ut tertio saltem quoque anno conventus nationalis Actionis Catholicae celebretur, convocatis universis locorum Ordinariis necnon delegatis uniuscujusque dioecesis.

250 .—In unaquaque dioecesi vel missionaria jurisdictione Ordinarius loci Directorem Dioecesanum nominat, qui Consilium Dioecesanum moderatur singulis saltem mensibus convocandum.

251 .—In singulis paroeciis vel missionibus constituentur associationes laicorum, qui Dei amore et animarum zelo potius quam numero praestent, quique sub nomine Actionis Catholicae apostolatam laicum totis viribus prosequantur.

Etsi consociationes laicorum in explendo suo apostolatu directiones parochi sequi debeant, ipse tamen vel Assistens Ecclesiasticus paroecialis sua optata ac desideria generatim praesidi laico Consilii Paroecialis significabit. Hujus autem praesidis erit, practicam executionem laboris a parochi propositi pro viribus curare.

Assistens Ecclesiasticus, qua anima totius Actionis Catholicae in paroecia, sodales totis viribus stimulabit ut directiones Ordinarii cum magno zelo, humilitate et prudentia exsequantur, ac praesertim ut universum suum apostolatam spiritu supernaturali imbuti fideliter expleant.

252 .—Meminerint omnes in finem Actionis Catholicae plurimum conferre serium atque profundum religionis studium, quo sensus conscientiae christianae formetur, atque in Deum pietas, in homines caritas et justitia, promoveantur. Quare Pa-

tres Concilii socios omnes vehementer hortantur ut institutionibus dioecesanis, ab eadem Actione Catholica culturae seu eruditionis causa erectis vel erigendis, sedulo assistant easque magnopere foveant.

Optant praeterea Patres ut in Universitatibus Catholicis atque in Collegiis nostris cursus Actionis Catholicae instituatur, in quo selecti juvenes utriusque sexus rite efformentur.

253.—Quum ignorantia populi sit malum in nostra regione maximum, ob extremam sacerdotum penuriam, praecipuum Actionis Catholicae studium sit doctrinam christianam tradere eamque in ipsis scholis gubernii docere, atque ita pro munere sibi commisso “collaborationem in apostolatu hierar- chico” habere.

Quem in finem ac bene perspectis harum Insularum adjunctis, Concilium sequentes normas in praxi servandas tradit:

1.0 In quolibet Instituto catholico ubi juvenus medias vel superiores scholas frequentet (*High Schools, Colleges, Universities*), constituatur Associatio *Students' Catholic Aetion*; de cujus gremio seligendus est coetus alumnorum, qui, egregiis qualitatibus praediti ac zelo animarum succensi, methodum doctrinam christianam alios docendi sponte ac libere addiscant, atque in hoc munere sese practice exerceant. Pro viribus adnitendum est ut etiam in scholis non catholicis, sive publicis sive privatis, memorata Associatio *Studenti Catholic Aetion* stabiliatur.

2.0 Qui prae ceteris emineant atque acrioris ingenii specimen praebeant, ita sunt in disceptationibus vulgo dictis *Study Clubs* exercendi ut habitum colant veritates religiosas scienti- fice probandi easque apte defendendi.

254 .—Cum catholicae religionis hostes innumeris hodie utantur mediis ad incautos decipiendos, atque sub fucatis et speciosis nominibus insidias multoties praebeant ad falsas doctrinas disseminandas, Actionis Catholicae dirigentibus cordi sit his malis apta remedia opponere; atque inter alia pro tempore et loco adhibenda, loca apte disposita et hominum vel mulierum accessui commoda habere curent, ubi, modico soluto pretio, omnibus praesto sit lectio librorum, ephemeridum fo- liorumve sanae et catholicae doctrinae, necnon opportunitas honestae tum animae tum corporis recreationi vacandi, etiam per exercitia gymnica et similia.

Caput III.

De juvenum catholicis associationibus.

255 .—Locorum Ordinarii curent ut in singulis dioecesibus, praelaturis, vicariatibus ac praefecturis, juvenum postscho- lares associationes instituantur, ad bonos mores promovendos, et ad acceptam in scholis educationem servandam.

256 .—Conatibus protestandum associationum Y.M.C.A. atque Y.W.C.A. opponantur catholicae associationes, quae non solum ad finem recreativum instituuntur, sed ad diversa caritatis opera exercenda, aut ad pietatem, studia et mutua auxilia fovenda. Inter alias enixe omnibus commendamus consociationes *Don Boseo*s Boys Association, Catholic Youth Organiz.ation, Young Christian Workers, Students⁹ Catholic Aetion*, etc.

257 .—Scholae quoque sive vespertinae sive diurnae erigantur, in quibus, cum scientifica et religiosa institutione, catholici juvenes sic congregati fruuntur ludis gymnasticis,

musica aliisque oblectamentis (*sports*) cum omni decore et honestate.

258.—Hujusmodi juvenum associationes jurisdictioni Ordinarii loci subduntur ad normam canonum. Nullo autem pacto, nulloque praetextu, eae associationes politicis factionibus sese immiscere aut agitationibus interesse debent.

Caput IV.

De actione sociali.

259.—Cum hodie permagna hominum multitudo a Deo et Ecclesia Catholica alienari et tota fere complurium cogitandi et vivendi ratio et publica vitae instituta in dies a fide christiana recedere videantur, parochi et sacerdotes omnes id sibi primum gravissimumque munus his temporibus incumbere iritelligant, ut pro sua parte allaborent ut denuo tota vita publica et privata ad Evangelii doctrinam componatur et perditae oves ad ovile Christi reducantur.

260.—Quare, domesticis fidei minime neglectis, singularem tamen sollicitudinem habeant multitudinis eorum qui ab influxu Ecclesiae alienati sunt, sive ad cultiorum hominum, sive ad operariorum aut agricolarum classem pertineant. Magnos igitur et varios hujus saeculi errores, sicut etiam alias a Deo et ab Ecclesia desciscendi causas perspectas habeant, et caritate Christi compulsi malis hujus temporis remedia opponere pro viribus studeant.

261.—Communismo atheo debellando viribus unitis allaborent sacerdotes, ac sedulo conentur internos ejus errores rite exponere et remedia a Pio XI et Pio XII indicata sollerter

adhibere, ita ut fidem divinam in mentibus confirmet atque ad rectum ordinem sociale instaurandum cooperentur-

262. Labores apostolici sociales, utpote ab Ecclesia magnopere commendati, a sacerdotibus sub Episcopi directione promovendi, atque inter urgentiora hujus temporis ministeria computandi sunt. Quare, pro diversis regionum conditionibus, quas rite perspectas habere debent, in bonum operariorum, cum religiosum et morale, tum etiam temporale, promovendum diligenter incumbant.

Et quoniam ad inculcandam socialem Ecclesiae doctrinam studia omnia atque labores exemplo quammaxime firmentur ac roborentur, “clerici, religiosi ac rerum ecclesiasticarum administratores, in operum locatione debent assignare operariis honestam justamque mercedem; curare ut iidem pietati, idoneo temporis spatio, vacent; nullo pacto eos abducere a domestica cura parsimoniaeque studio, neque plus eisdem imponere operis quam vires ferre queant neque id genus quod cum aetate sexuque dissideat”.¹

263. Curent in primis auxilium spirituale opificibus eorumque ducibus praestare, praesertim per doctrinae christianae explanationem, necnon per exercitia spiritualia et religiosas consociationes.

264. Socialem Ecclesiae doctrinam cum omni sinceritate, caritate et prudentia omnibus, tam opificibus quam laborum patronis, exponere et sententias erroneas sive theoreticas sive practicas refellere satagant.

¹ Can. 1524.

Eorum insuper erit curare ut patroni et proprietarii sibi bene perspectam habeant obligationem, eamque gravem, qua tenentur operariis justam mercedem, agricolis congruam messium fructuumque partem tribuendi, ita ut utrisque liceat vitae rationibus, tam pro se ipsis quam pro suis familiis, decenter honesteque consulere.

Vicissim operarii instrui debent circa suam obligationem reddendi honestum integri unius diei laborem pro justa compensatione, atque colendi virtutes frugalitatis, sobrietatis et parcimoniae. Simul etiam defendendi sunt in suo iure sese libere associandi ad collectivam petitionem beneficiorum oeconomicorum, atque detinendi laborem si alia media non sufficiant ad sua iura vindicanda.¹

265. —Fovenda erunt centra actionis socialis atque secretariatus defensionis et propagationis catholicae, et curandum ut hujusmodi consociationes et instituta, in diversis dioecesibus existentia, mutua communicatione et cooperatione sese adjuvent.

266. —Singularis eorum habeatur cura, qui ruri vel in suburbiis magnarum civitatum, propter inopiam sacerdotum aut ecclesiarum, auxilio religioso maxime carent et indifferentia religiosa obvoluti jacent.

267. —Principia caritatis et justitiae socialis, tam in Universitatibus, quam in scholis superioribus et mediis, sedulo alumnorum mentibus imprimantur. Efformentur etiam in eisdem institutis viri, nedum exculi, sed praesertim in vita sive privata sive civili vere christiani, qui ad hodiernum apostolatam allaborare possint et velint.

¹ Pius XI, Litt. *Encycl. Divini Redemptoris* (de Communismo Atheo), 19 Mare. 1937.—Episcopi Australiae: *Pace in Industry*.

268 .—In operibus socialibus promovendis caveant sacerdotes, ne eorum temporali administrationi rebusve politicis sese immisceant.

269 .—Omnes laboribus socialibus addicti, sint ad obediendum Sedi Apostolicae semper parati, sacrae Hierarchiae ordinationes reverenter prae oculis habeant, Superiorum directioni fideliter obtemperent.

Caput V.

De praecipuis fidelium vitiis corrigendis.

270 .—Vehementer reprobant Patres effrenatam licentiam, pestiferum laicismum, insanum rerum novarum studium atque indifferentiam religiosam in dies invalescentem. Quo autem efficacius his omnibus malis occurratur, solidam omnium christifidelium instructionem religiosam urgent, juxta normas inferius suo loco tradendas.

Parochi autem, confessarii et concionatores iterum iterumque moneant fideles, religionem non solo nomine, sed vita et opere profitendam esse, accurata praesertim legum divinarum et ecclesiasticarum observantia.

271 .—Absterreantur fideles a nimia divitiarum ac rerum temporalium ambitione, itemque a sordida avaritia et injustitia sociali, quae hisce nostris diebus tantopere grassantur, proposita rerum mundanarum vanitate atque exemplo Domini nostri Jesu Christi, qui “cum esset dives propter nos egenus factus est”.¹

272 .—Pro viribus impugnent sacerdotes, juvantibus laicis, dissolutos mores publicos, eorum causas removentes, eis-

¹2 Cor. VIII, 9.

que opportuna remedia applicantes. Omni studio nitantur fideles avertere a ludis ultra modum protrahendis cum magno aliarum obligationum praejudicio; itemque a libris, ephemeridibus et foliis obscenis; a turpiloquio, a choreis inhonestis, a nuditatibus quae hodie sunt in usu, a lubricis denique spectaculis quae in theatris et cinematographicis repraesentationibus exhibentur.

273. —Denique moneantur crebro fideles de obligatione qua tenentur legitimis potestatibus civilibus obediendi; absterreantur a societatibus anarchisticis, communisticis, socialisticis, et praecipue a sectis massonicis et associationibus quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates machinantur.

Titulus VI.

DE SACRAMENTIS ET SACRAMENTALIBUS.

Caput I.

De quibusdam normis generalibus.

274. —Sacerdos, Missam celebraturus aut Sacramentum aliquod administraturus, deferat vestem talarem apud nos usitatam et sacra ornamenta a rubricis praescripta.

Idem servandum est in Sacramentalibus publice conficiendis vel administrandis.

275 .—In Sacramentis et Sacramentalibus conficiendis seu administrandis, accurate serventur ritus et caeremoniae quae in *Manuali parochorum* pro his insulis approbato praecipuntur.

Benedictiones nuper ab Ecclesia approbatae, quae in *Manuali parochorum* nondum inveniuntur, fiant servatis ritibus et caeremoniis quae in libris ritualibus a Sede Apostolica probatis continentur.

276 •—Sacra olea quae quibusdam Sacramentis administrandis inserviunt, debent esse ab Episcopo benedicta feria V in Coena Domini proxime superiore.

Ut sacra olea magis antiqua legitime adhiberi possint (dummodo ne sint corrupta, et nova vel recentiora olea, peracta omni diligentia, haberi nequeant) requiritur facultas a Sede Apostolica concessa.¹

¹ S. C. Consist., 26 Martii 1949.

277 .—Bene perspectis harum regionum peculiaribus adjunctis, omnibus parochis ac sacerdotibus permittimus ut sacra olea domi retineant, in tuto ac decenti loco, dummodo religiose caveant ne ad laicorum manus perveniant aut quoquo modo profanentur.

278 .—Parochi praesertim et alii sacerdotes, ad quos Sacramentorum administratio pertinet, lubenti promptoque semper animo, hoc saluberrimo fungantur munere; et, si necessitas urgeat, quacumque diei ac noctis hora ad illa administranda vocentur, nullam officio suo praestando moram interponant.¹

279 .—Omnes qui Sacramenta suscipiunt, loco et tempore opportuno moneantur, per parochos praesertim aliosque sacerdotes, ut, remoto inani colloquio, et habitu actuque indecenti, pie ac devote Sacramentis intersint et ea, qua par est reverentia, suscipiant.”

280 .—Antequam ad receptionem sacramenti confirmationis aut primae communionis quis admittatur, constare debet de ejus baptismi validitate; idem servandum est cum agitur de admittendis catholicis ad contrahendum matrimonium.

Caput II.

De baptismo.

Art. i. De baptismo privato.

281 .—Baptismus non sollemnis seu privatus potest a quovis ministrari, servata debita materia, forma et intentione. Cumque agatur de re maximi momenti, parochi et missionaru^{1 2}

¹ Cone. Manii. I, n.

² Cone. Manii. I, n.

curare debent ut omnes fideles, praesertim vero nutrices et obstetrices, necnon medici ac chirurgi, rectum baptizandi modum pro casu necessitatis probe ediscant, ne eorum inscitia infantium et etiam abortive editorum animae pereant.

282. —Qua in re, Concilium declarat vocem *binyag* alias- que aequivalentes, in linguis apud nos usitatis adhibitas, sufficienter exprimere actum baptizandi, atque ideo valide ac licite adhiberi posse in baptismo privato. Volumus autem ut, tam in libris precum, quam in futuris catechismi editionibus, inserantur formulae baptismum ministrandi, ex lingua latina in multiplicia hujus regionis idiomatica accurate versae; quae formulae, unice et exclusive a laicis in casu necessitatis ministrantibus, erunt adhibendae.

283. —Baptismus privatus:

1.0 *In mortis periculo*, sive certo sive probabili, licet ut conferatur. Si conferatur a ministro qui nec sacerdos nec diaconus sit, ea tantum ponantur, quae sunt ad baptismi validitatem necessaria; si a sacerdote vel diacono, serventur quoque, si tempus adsit, caeremoniae quae baptismum sequuntur.

2.0 *Extra mortis periculum* nequit ab ipso loci Ordinario permitti, nisi agatur de haereticis qui in adulta aetate sub conditione baptizantur.

3.0 *In locis missionum* permitti potest etiam in aliis adjunctis, v. gr. propter longam absentiam sacerdotis aut magnam difficultatem illum adeundi, dummodo a prudentioribus et bene instructis laicis administretur, juxta normas ab Ordinario loci praescriptas.

284 .—In baptismo privatim conferendo adhiberi debent, quatenus fieri potest, duo testes vel saltem unus; ut, adveniente

sacerdote, constare possit de baptismo rite collato, ita ut nullum remaneat dubium de ejus validitate.

Laici qui baptizent, adnotare debent nomina baptizatorum et, quoad fieri possit, etiam nomina testium, ad mentem can. 779> mentione facta de parentibus ac patrino qui forte interfuit, itemque de loco et die collati baptismi; quae omnia parochus vel missionarius, opportuno tempore et facta comprobatione, in libro suo baptismali referat.

Art. 2. De subjecto baptismi.

285. —Infantes catholicorum, quamprimum post nativitatem, ad fontem baptismalem ferendi sunt, ut aquis regenerationis abluantur. Quare:

1.0 Improbamus incuriam parentum, qui, absque gravi causa, ultra triduum et praesertim ultra octiduum, filiorum, quamvis minime infirmorum, baptismum differunt.

2.0 Parochi ac concionatores sedulo instruant fideles de hac gravi eorum obligatione, eosdemque frequenter commoneant, ne parvuli ob parentum aliorumve incuriam aeterna priventur beatitudine.

3.0 In majoribus paroeciis atque in territoriis missionum, parochi ac missionarii sedulo curent, omnibus quibus possint modis, praebere fidelibus sibi commissis occasionem quam citius baptizandi infantes, etiam ab ecclesia remotiores.

4.0 Sacerdotes pro viribus conentur eradicare abusum, pluribus in locis vigentem, quo tepidiores catholici baptismum filiorum ultra hebdomadam differunt, sub praetextu patrum ditiores aut cognatione propinquiorem inveniendi.

286 •—Infantes parentum fidelium, qui sunt admodum tepidi seu in religionis cultu segnes atque socordes, vel quorum

alter in prava agendi ratione protervus est, vel etiam quorum pater a fide christiana defecit, postulantibus praesertim ipsis- met parentibus, possunt et debent baptizari non obstante dubio seu causa metuendi ne, cum adoleverint, educatione christiana priventur.

287. —Neque recusent parochi ac missionarii baptizare prolem concubinariorum, timentes ne eorum falsum connubium approbare videantur. Baptismum conferant, et alia via scandalum removeant.

288. —Juxta can. 750 § 1, infans infidelium, etiam invitus parentibus, licite baptizatur, cum in eo versatur vitae discrimine, ut prudenter praevideatur moriturus, antequam usum rationis attingat.

Quare recedendum est a norma in Cone. Manii. I num. 577 tradita, vi cujus articulus mortis, aut periculum moraliter certum imminens mortis, requirebatur.

In praesenti enim Ecclesiae disciplina, satis est ut, omnibus circumstantiis consideratis, *prudenter* existimetur moriturus infans ante usum rationis, etsi mors nonnisi post unum vel alterum pluresve annos secutura praevideatur.

289. —Ad normam can. 750 § 2, extra mortis periculum, dummodo catholicae ejus educationi cautum sit, infans infidelium licite baptizatur:

1.0 Si parentes vel tutores, aut saltem unus eorum, consentiant;

2.0 Si parentes, idest pater, mater, avus, avia, vel tutores desint, aut jus in eum amiserint, vel illud exercere nullo pacto queant.

290. —Probari nequit consuetudo renuendi baptismum pueris et puellis, infidelium filiis, qui scholas catholicas frequen-

tant et bene de religione docti baptismum petunt, eorum parentibus consentientibus, licet post baptismum in suam familiam paganam redeuntes, permultis periculis sint expositi.

291. —Pueri a parentibus schismaticis oblato, extra mortis periculum a sacerdote catholico generatim baptizandi non sunt, nisi probabilis spes effulgeat catholicae educationis.

292. —Juxta can. 752 § 1, adultus seu qui rationis usu fruitur, nisi sciens et volens probeque instructus, ne baptizetur; insuper admonendus est ut de peccatis suis doleat.

In baptismo igitur adutorum, seu eorum qui rationis usum adepti sunt:

1.0 Ut certo constet de valore baptismi, oportet ut ipsi expresse velint christianae societati aggregari seu baptismum suscipere;

2.0 Requiritur ut pro suo captu *explicite* credant in unum Deum, remuneratorem bonorum et vindicem malorum, necnon mysteria Incarnationis et Sanctissimae Trinitatis; atque saltem *implicite* credant reliquas fidei veritates, seque paratos ostendant ad easdem addiscendas;

3.0 Saltem attritionem, seu dolorem imperfectum de peccatis commissis, habere debent.

293. —Quoniam, in nonnullis regionibus nostris, plurimi adhuc inveniuntur infideles, ne citius neque serius, sed tempore opportuno baptismus conferatur *adultis* seu rationis usum adeptis, sequentia adamussim observanda praecipimus:

1.0 Nemini baptismus conferatur absque *praevia* cognitione, proprio captui accommodata, tum existentiae Dei remu-¹

¹ S. C. S. Off., 20 Mart. 1933.

² S. C. S. Off., 15 Nov. 1941-

neratoris, tum mysteriorum Sanctissimae Trinitatis et Incarnationis;

2.0 Qui frequentem cum parochi aut missionario communicationem habent, debent praeterea *ante* baptismum addiscere orationem dominicam, decalogum, praecepta Ecclesiae, Sacramenta, modum eliciendi actum contritionis, peccata rite confitendi, sacram Synaxim fructuose recipiendi.

3.0 Qui sufficienter jam credunt fidei mysteria necessitate medii credenda, sed raro a parochi vel sacerdote visitari queunt, baptizari possunt *dummodo* patrinus rite instructus onus in se suscipiat, eosdem ulterius instruendi atque in vita christiana instituendi.

294. —Ad adultos sinenses quod attinet, volumus ut in nostris quoque regionibus sedulo observentur sequentes Concilii Plenarii Sinensis praescriptiones:

1.0 Benigne excipiendi sunt pagani baptismum petentes, maxime si motivo aliquo honesto ducantur.

2.0 Sedulo probandi sunt hujusmodi sinenses, ita ut, quoad fieri possit, eorum motivum naturale convertatur in supernaturale, nec ullus baptizetur nisi prius constet de ejus recta intentione.

3.0 Excepto casu urgentis necessitatis, nullus baptizetur nisi probe sit instructus, cognoscens superstitionum falsitatem, mysteria fidei, orationem dominicam, decalogum, praecepta Ecclesiae, effectum baptismi, actus virtutum theologiarum, et possit recte peccata confiteri et tuto ad sacram Communionem admitti.

4.0 Eorum institutio, quantum fieri potest, nonnisi sacerdotibus aliisve personis linguae sinensis gnaris committatur;

ea lege ut catechumeni simul in vita christiana exerceantur, per aliquod tempus ante baptismi receptionem.

5.0 Parochi et missionarii, ubi probaverint hujusmodi sinenses sufficienter instructos ac recte dispositos esse, Episcopum certiozem faciant, ab eoque veniam petant hujusmodi catechumenos baptizandi.

6.0 Post baptismum susceptum, neophyti peculiaribus curis tractentur, pleniore doctrinae christianae notitia informentur, atque, meliore quo fieri possit modo, in fide et vitae sanctitate firmentur.

295 .—Licet adulti baptizandi debeant esse ordinarie ita instructi ut possint simul baptizari et ad Sacram Synaxim admitti, tamen ob graves causas permitti potest ut non eodem die baptizentur et communionem percipiant; sed curandum est ut sacramento Eucharistiae quamprimum reficiantur.

296. —In mortis periculo, si nequeant adulti in praecipuis fidei mysteriis diligentius instrui, satis est ad baptismum conferendum, ut aliquo modo ostendant se eisdem assentire (ex. gr. si dicant se credere omnes veritates quas Ecclesia seu Dei minister edocet, aut fideles profitentur, vel quidquid necessarium est ad salutem) serioque promittant se christianae religionis mandata servaturos.

Quod si baptismum ne petere quidem queant, sed *antea* manifestaverint vel *in praesenti statu* manifestent aliquo probabili modo intentionem illum suscipiendi, baptizandi sunt sub conditione; si deinde convaluerint et dubium de valore baptismi collati permaneat, sub conditione baptismus rursus conferatur.

297. - Quamvis pro certo habendum sit baptisma ab agli-payanis collatum nullitatis vitio penitus laborare si Rituale sectae adhibeant, eo quod ecclesia sic dicta *Aglipayana* myste-

rium Sanctissimae Trinitatis neget atque baptismum in nomine tantum Jesu administret; nihilominus in praxi, cum de factis sat raro certo constet, quotiescumque agatur de conversione aglipayanorum singuli casus accurate examinandi sunt, ad determinandum utrum baptismus ipsis absolute an potius conditionate administrari debeat.

298 .—In conversione aliorum haereticorum et schismaticorum a quocumque loco vel a quacumque secta venerint, inquirendum est de validitate baptismi suscepti.

Instituto igitur in singulis casibus examine, si compertum fuerit, aut nullum aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt absolute. Si autem pro temporum et locorum ratione, investigatione peracta, nihil sive pro validitate sive pro invaliditate detegatur, aut adhuc probabile dubium de baptismi validitate supersit, itemque in casu quo nulla inquisitio fieri possit, sub conditione secreto, seu non publice et cum apparatu, baptizari debent. Demum, si constiterit validum fuisse, nullo pacto sunt rebaptizandi, sed solum admittendi ad abjurationem et professionem fidei.¹

299 .—In reconciliatione adultorum, ex haeresi aut schismate formali conversorum, sequentia observari debent:

1.0 Quoties baptismus *absolute* administrandus est, nulla requiritur abjunctio aut absolutio, quia sacramentum regenerationis omnia abluit;

2.0 In casu quo baptismus *sub conditione* administrari debeat, praerequiratur abjunctio et fidei confessio, cum absolute a censuris pro foro externo si de pubere agatur;

3.0 Si adultus non est *denuo* baptizandus, quia primus baptismus repertus est certo valide collatus, ad reconciliationem

¹ S. G. S. Off., 20 Nov. 1878.

requiruntur abjuratio et fidei professio coram Ordinario loci vel ejus delegato et saltem duobus testibus; et, si de pubere agatur, absolutio a censuris pro foro externo concessa ab Episcopo.¹

4.0 In reconciliatione impuberum seu minorum quatuordecim annorum, necessaria non est abjuratio formalis, sed sufficit fidei professio in ipsis baptismi caeremoniis contenta.

300. —Adultus baptizandus sub conditione, ob dubium prioris baptismi:

1.0 Non tenetur denuo confiteri peccata jam rite accusata.

2.0 Sed induendus est ad confitenda peccata nondum rite accusata; ita ut primo abjuratorem haeresis et fidei professionem, dein confessionem faciat, tertio baptismum et tandem absolutionem sacramentalem conditionate recipiat.

Art. 3. De ritibus et caeremoniis baptismi.

301. —Nostrarum regionum adjunctis bene perspectis, omnibus sacerdotibus indulgemus ut, in baptizandis adultis, adhibere semper possint caeremonias praescriptas pro baptismo infantium.

Curent autem parochi ut caeremoniae praescriptae pro baptismo adutorum, quae tantopere ad populi devotionem augendam conferunt, aliquoties saltem, data opportunitate, coram selectis magisque instructis fidelibus observentur.

302. —Juxta can. 757 § 1, in baptismo sollemni adhibenda est aqua ad hoc benedicta. ^{1 2}

¹ Can. 2314 § 2.

² S. C. S. Off., 2 Dec.

Fontem autem baptismalem benedicere [^] p»*ocfo, tum in Sabbato Sancto, tum in vigilia P<=nteCostes. [^] t0' lerari potest consuetudo benedicendi aquam semel in anno, seu in pervigilio Paschatts dumtaxat

Sed in ecclesiis ubi vigilia paschalis instaurata n.c.^{tumo} tempore peragatur, ad normam decretorum S. Congr. Pituum 9 Febr. 1951 et u Jan. 1952, aquae baptismalis, benedi^{ctio} in vigilia Pentecostes omitti potest.

Deficiente quavis de causa aqua in baptisterio ass^{erva}> parochus in fontem, bene mundatum ac nitidum, recentem aquam infundat ac proprio ritu in Rituali Romano tit. H^{ca}P- 8 praescripto benedicat.

Ut parochi ac missionarii, necnon sacerdotes sacra ministeria legitime in nostris regionibus exercentes, aquam baptismalem benedicere queant breviori formula, qua usi sunt missionarii Peruani ex concessione Pauli III, et quae in Appendice ad Rituale Romanum invenitur requiritur facultas a Sede Apostolica concessa.¹

303 .—Sacra Rituum Congregatio, de mandato Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae XII, rubricam Ritualis Romani tit. II, cap. 2, num. 13 ita reformandam et in futuris ejusdem Ritualis Romani editionibus inserendam decrevit:

“Postea sacerdos pollice accipit de saliva oris sui (quod omittitur quotiescumque rationabilis adest causa munditiei tuendae aut periculum morbi contrahendi vel propagandi), et tangit aures et nares infantis”.

Circa hoc decretum die 14 Jan. 1944 datum, haec sunt pro praxi sedulo adnotanda:

¹ S. C. Consist., 26 Mart. 1949.

1.0 Manet obligatio tangendi aures et nares baptizandi, contactu physico pollicis sacerdotis baptizantis.

2.0 Reformatio afficit tantum acceptionem salivae, quae, licet a rubrica adhuc praescribatur, tamen potest et debet omitti quoties adest causa rationabilis, sive munditiei propriae aut alienae tuendae, sive periculi cujuslibet morbi vitandi.

3.0 Ad ipsum ministrum baptismi sollemnis pertinet judicare, in singulis casibus, de existentia hujus causae rationabilis.

304 .—Caeremoniae quae in baptismi collatione praetermissae quavis ratione fuerint, quamprimum in ecclesia suppleantur; nisi agatur de haereticis qui in adulta aetate sub conditione sint baptizandi privatim de Ordinarii loci licentia.

Ubi agitur de adulto *catholico*, caeremoniae quae suppleri debent e baptismo parvulorum sunt semper sumendae, eae scilicet quae omissae fuerunt in ipsa baptismi collatione.

Si agitur de *haeretico* adulto *valide* baptizato, ad fidem catholicam converso, caeremoniae supplendae e ritu baptismi infantium sumi debent, nisi rationabili de causa aliter Episcopo videatur.

305.— Quoniam iis qui baptizantur, tanquam Dei filiis in Christo regenerandis et in ejus militiam adscribendis, nomen imponitur:

1.0 Curent parochi ne obscena, fabulosa aut ridicula, vel inanum deorum, vel impiorum ethnicorum hominum nomina imponantur;

2.0 Curent pariter ut eis qui baptizantur, christianum imponatur nomen, Sanctorum scilicet quorum exemplis fideles ad pie vivendum excitentur, et patrociniis protegantur;

3-0 Quod si id consequi non poterunt, nomini a parentibus imposito addant nomen alicujus Sancti et in libro baptizatorum utrumque nomen perscribant.

306 .—Jus nomen baptismale eligendi competit parentibus, patrino aliisque personis quae locum parentum tenent, et, si de prole illegitima agatur, matri in primis. In eorum defectu, ipse parochus seu minister nomen imponat.

307 .— Coercendi sunt abusus apud nos in dies invalescentes adhibendi pro nominibus cognomina familiarum ut *Ri-Zal*, *Roosevelt*, aut nomina e floribus aliisque rebus pretiosis ut *Azucena*, *Perla*, vel ex eventibus patriis ut *Warlito*, *Luzrismmda*, vel e poeticis et romanticis scriptis ut *Isagani*, *Floranle* desumendi.

Nihil in nostris regionibus obstat quominus nomen *Jesu* adhibeatur dummodo viris non autem feminis imponatur.

Improbandum autem est usum tribuendi feminis nomina propria virorum, et viceversa, nisi agatur de iis quae indiscriminatum pro utroque sexu communiter adhibentur ut *Josefa*, *Petra*, etc.

308- Pro viribus curandum est ut nomen in baptismo receptum nullatenus immutetur, sed idem eodemque semper modo in registis sive ecclesiasticis sive civilibus inscribatur.

Quod si in aliquo casu, graves rationes suadeant ut nomen aliquod mutetur, idque exoptet eadem persona cujus interest, parochus Episcopi licentiam petat, eaque obtenta, mutationem in libro paroeciali diligenter adnotet.

Art. 4. De patrinis.

309. —Juxta can. 764, patrinus unus tantum, licet diversi sexus a baptizando, vel ad summum unus et una adhibeantur.

Qua in re, attentis nostrarum regionum usibus, sequentia animadvertere debemus:

1.0 Quoties plus quam duo patrini praesententur, ut mos est in plurimis locis, parochi et missionarii ne vereantur Ec desiae legem fidelibus manifestare atque, omnibus quibus possint modis, conentur eosdem convincere de necessitate huic praescriptioni obtemperandi, posthabitis propriis commodis privatis.

2.0 Quod si id consequi nequeant absque adstantium of-
fensione, unum et unam e praesentatis ad munus patrini geren-
dum, reliquos autem ut meros testes baptismi, admittant.

3.0 Testes hujusmodi nullo modo teneant aut tangant
baptizandum in actu baptismi, neque in libris paroecialibus ad-
notentur.

310. —Q uoniam munus patrini per procuratorem exerceri
potest ad normam can. 765 n. 5, ad vitanda incommoda in praxi
occurentia haec prae oculis habeantur:

1.0 Ex parte patrini, requiritur ut ipsemet designet per-
sonam procuratoris, eique det mandatum speciale ad ipsum in
actu baptismi repraesentandum;

2.0 Ex parte procuratoris, praeter mandatum speciale a
patrino acceptum, requiritur ut munere suo per se ipse fungatur,
et quidem cum intentione agendi nomine patrini, non autem
nomine proprio.

311. —Parochi et missionarii saepius legant ac bene intel-
ligant ea quae in can. 765 et 766 statuuntur, ac sedulo curent ut
intra proprium territorium patrini vere apti designentur.
Improbanda est enim incuria eorum parentum, qui, neglectis
personis idoneis, munus patrini committunt cuicumque magnato
aut diviti influxum in alios habenti, licet pro certo ha-

beant ipsum minus religiosum esse, aut filium suum spiritualem non amplius esse curaturum.

312 .—In memoriam fidelium frequenter revocetur patrinos debere esse veri nominis catholicos; atque ideo prohiberi quominus munus patrini gerant protestantes, aglipayani aliique haeretici et schismatici, massones notorii, concubinari et alii peccatores publici, necnon ii omnes qui matrimonio mere civili uniuntur et qui partibus communistarum nomen dederunt¹.

313 .—Clerici in sacris ordinibus constituti nequeunt licite admitti ad munus patrini, nisi accedat expressa Ordinarii proprii licentia. Possunt autem admitti clerici minores et seminarii alumni.

Pariter novitii vel professi cujuslibet religionis nequeunt munus patrini suscipere, nisi necessitas urgeat et expressa habeatur venia Superioris saltem localis. Idem dicendum est de sodalibus societatum in communi viventibus absque votis.

314 .—Nunquam licet catholico, nec per se nec per alium, munere patrini fungi in baptismo, qui filio parentum haeticorum, schismaticorum vel apostatarum a ministro *haeretico* vel *schismatico* aut *apostata* confertur."

Mo.—“Patrinorum est, ex suscepto munere, spiritualem filium perpetuo sibi commendatum habere, atque in iis quae ad christianae vitae institutionem spectant, curare diligenter ut ille talem in tota vita se praebeat, qualem futurum esse sollemni caeremonia sponponderunt.”^{1 2 3}

Cum innumeri pueri ac juvenes in catholica Ecclesia baptizati, absque ulla religionis notitia adolescant, ac more paga-

¹ Ad mentem S. C. S. Off., 1 Jul. 1949 (A.A.S. XLI, pag. 334).

² S. C. S. Off., 10 Maji 1770.

³ Can. 769.

norum vitam a fide christiana alienam ducant, Concilium volens huic gravissimo malo occurrere ac remedia efficacia adhibere, sequentes normas ab iis ad quos spectat adamussim servandas tradit:

1.0 Sacerdotes in suis ad populum concionibus, de patrinorum officio opportune et importune loquantur, alte eorum obligationes e patrini munere profluentes inculcent, earumque implementum enixe commendent.

2.0 Parochi et missionarii, occasione baptismi sed ante ejus administrationem, parentes ac patrilinos serio moneant de obligatione curandi christianam educationem filiorum baptizandorum.

3.0 Confessarii ne omittant suos poenitentes de hac re prudenter interrogare ac rite instruere.

Art. 5. De loco baptismi conferendi.

316.—“Proprius baptismi sollemnis administrandi locus est baptisterium in ecclesia vel oratorio publico/

“Baptisterium sit decenti loco et forma materiaque solida, et quae aquam bene contineat, decenter ornatum et cancellis circumseptum, sera et clave munitum, atque ita obseratum, ut pulvis vel aliae sordes intro non penetrent, in eoque, ubi commode fieri potest, depingatur seu collocetur imago Sancti Joannis Christum baptizantis.”-

Praxis baptismum administrandi ad altare majus quando fons baptismalis adest, tolerari non debet nisi in casibus extraordinariis de licentia Ordinarii. ^{1 2}

¹ Can. 773.

² *Rit. Rom.*, tit. II, cap. I, n.

317. “Quaelibet paroecialis ecclesia, revocato ac reprobato quovis contrario statuto vel privilegio vel consuetudine, baptismalem habeat fontem, salvo legitimo jure cumulativo aliis ecclesiis jam quaesito.”

“Loci Ordinarius potest pro fidelium commoditate permittere vel jubere ut fons baptismalis ponatur etiam in alia ecclesia vel publico oratorio intra paroeciae fines.”¹

Ordinarii Philippinarum possunt idem permittere vel jubere, congrua congruis referendo, in jurisdictionis suae ecclesiis vel publicis oratoriis, quamvis inibi nondum sint paroeciae neque quasi-paroeciae canonice constitutae.

318.—Circa locum baptismi conferendi, haec pro nostris regionibus decernimus:

1.0 In urbibus unam aut plures ecclesias habentibus, sedulo curandum est ne unquam hoc sacramentum extra ecclesiam administretur, praeter casus in can. 776 enumeratos.

2.0 Ruri atque in pagis et oppidulis, ubi nulla est ecclesia, infantes baptizandi sunt in propinquiore statione in qua Sacrum fieri solet.

3.0 Quod si infantes nequeant commode transferri ob aeris intemperiem, itineris difficultatem, parentum inopiam, aliasve graves causas, indulgemus ut domi cum omnibus consuetis caeremoniis baptizentur.

Art. 6. De collati baptismi adnotatione.

319.—Parochi debent nomina baptizatorum, mentione facta de die et mense nativitatis eorundem, necnon de ministro, parentibus ac patrinis, de loco ac die collati baptismi, in bap-

¹ Can. 774.

tismali libro sedulo et sine ulla mora referre. Si patrinus a procuratore repraesentetur, utriusque nomen inscribendum est. Nulla est necessitas in posterum adnotandi avorum nomina et cognomina, sed adhibenda est formula pro his regionibus ab Episcopis probata.

320. —Juxta morem apud nos receptum, adnotanda quoque est legitimitas natalium, secundum normas juris canonici.

In libro autem baptizatorum adnotetur etiam vinculum parentum, si adfuerit (Cath. Civ., Prot., Agi., Nat.).

321. —“Ubi de illegitimis filiis agatur, matris nomen est inserendum, si publice ejus maternitas constet, vel ipsa sponte sua scripto vel coram duobus testibus id petat; item nomen patris, dummodo ipse sponte sua a parochio vel scripto vel coram duobus testibus id requirat, vel ex publico authentico documento sit notus; in ceteris casibus inscribatur natus tanquam filius patris ignoti vel ignotorum parentum.”¹

In his casibus, ita inserenda sunt nomina parentum ut omnis infamiae vitetur occasio; in dubiis autem particularibus, recurrendum est ad Sacram Congregationem Concilii.

322. —Quoties legitima efficiatur proles per subsequens parentum matrimonium, ad normam can. III6, aut facultatum Ordinariis concessarum, id etiam in libro baptizatorum adnotetur, atque haec adnotatio in documenta accepti baptismatis semper referatur.

323. —Nulla mutatio (correctio, substitutio, additio, suppressio) fieri potest in libris paroecialibus, nisi praevis recognita et approbata fuerit ab Episcopo.^{1 2}

¹ Can. 777 § 2.

² Pont. Comm. ad Cod. Can. auth. inccrpr., 14 Jul. 1922.

Proinde si aliqua mutatio seu correctio facienda sit in libro baptizatorum, parochus ne agat arbitrio suo, sed rem deferat ad Episcopum, qui, omnibus rite perpensis, scripto decreto mutationes faciendas jubeat; decretum autem servetur in archivo paroeciali, ejusque mentio fiat in libro baptizatorum.

Caput III.

De confirmatione.

Art. i. De ministro confirmationis.

324 .—“Ordinarius confirmationis minister est solus Episcopus consecratus.”

“Extraordinarius minister est presbyter, cui vel jure communi vel peculiari Sedis Apostolicae induito ea facultas concessa sit.”

“Hac facultate ipso jure gaudent Abbas vel Praelatus *nihilus*, Vicarius et Praefectus Apostolicus, qui tamen ea valide uti nequeunt, nisi intra fines sui territorii et durante munere tantum.”

325 .—Vi facultatum apostolicarum, Ordinarii locorum deputare possunt, ad sacramentum confirmationis administrandum, sacerdotes quantum fieri potest in aliqua dignitate ecclesiastica constitutos, vel munere Vicarii foranei fungentes; nunquam vero simplices sacerdotes commorantes in illis locis in quibus praedictum sacramentum administrandum erit; servata nova Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum *Instructione* pro simplice sacerdote ex Sedis Apostolicae delegatione sacramentum confirmationis administrante. ¹

¹ Cfr. can. 782

Haec facultas non competit Vicario Generali sine ejus Ordinarii loci speciali mandato.

326. —E generali Summi Pontificis Pii XII induito, a die i Januarii 1947 vim habente, tamquam ministris extraordinariis facultas tribuitur conferendi sacramentum confirmationis, in casibus tantum et sub conditionibus infra enumeratis, sequentibus presbyteris iisdemque dumtaxat:

1.0 Parochis proprio territorio gaudentibus, exclusis igitur parochis personalibus vel familiaribus, nisi et ipsi proprio, licet cumulativo, fruuntur territorio;

2.0 Vicariis actualibus, de quibus in canone 471, atque vicariis oeconomis;

3.0 Sacerdotibus quibus exclusive et stabiliter commissa sit, in certo territorio et cum determinata ecclesia, plena animarum cura cum omnibus parochorum juribus et officiis.

327. —Ministri de quibus in decreto praecedenti, confirmationem valide et licite conferre valent per se ipsi personaliter, fidelibus tantummodo in proprio territorio degentibus, non exceptis personis commorantibus in locis a paroeciali jurisdictione subductis; non exclusis igitur seminariis, hospitibus, valedudinariis, aliisque omne genus institutis etiam religiosis quoquo modo exemptis; dummodo hi fideles *ex gravi morbo in vero mortis periculo sint constituti, ex quo decessuri praevi deantur.*

Si hujusmodi mandati limites iidem ministri praetergrediantur, probe sciant se perperam agere et sacramentum nuncum conficere, incolumi praeterea manente statuto canonis 235*

328. —Hac facultate uti possunt ministri, de quibus in ¹

¹ S. C. Consist., 26 Mart. 1949.

decr. 326, tum in ipsa episcopali urbe tum extra ipsam, sive sedes plena sit sive vacans, dummodo Episcopus dioecesanus haberi non possit vel legitime impediatur quominus confirmationem per se ipse valeat conferre, nec alius praesto sit Episcopus communionem habens cum Apostolica Sede, licet titularis tantum, qui sine gravi incommodo ipsi suffici queat.

Hi ministri extraordinarii tenentur singulis vicibus statim ad Ordinarium dioecesanum proprium authenticum nuntium mittere collatae a se confirmationis, additis adjunctis omnibus in casu concurrentibus.¹

329 .—Omnibus Ordinariis locorum a Sacra Congregatione de Propaganda Fide dependentibus potestatem Summus Pontifex Pius XII fecit, absque praejudicio ceterorum indultorum quibus in re jam fruuntur, ut tribuere valeant omnibus sacerdotibus sibi subditis curamque animarum gerentibus:

1.0 Facultatem sacram Confirmationem fidelibus sive adultis sive infantibus, intra fines missionalis circumscriptionis exstantibus et in mortis periculo constitutis, *valide* ministrandi;

2.0 Idem Sacramentum fidelibus in memoratis adjunctis constitutis *licite* ministrandi in ipso loco residendae Episcopi, absente tamen quolibet Episcopo vel legitime impedito."

330 .—Sedulo et frequenter parochi et alii animarum rectores moneant fideles sibi commissos, confirmationes a pseudoepiscopis aglipayanis his in regionibus factas, nihil aliud esse nisi Sacramenti simulacra vana et inania, ac proinde non solum illicita, sed nullius prorsus valoris; in omnium memoriam constanter revocantes, eos, qui scienter parvulos schismaticis pseu*¹

¹ S. C. de Sacram., 14 Sept.

² S. C. de Prop. Fide, 18 Dec.

do-episcopis confirmandos offerunt, vel idem Sacramentum ab eisdem petunt, gravissimo sacrilegii scelere sese maculare.

Art. 2. De subjecto confirmationis.

331 .—Re mature perpensa ac diligenter discussa, Concilii Patres censuerunt servandam esse consuetudinem antiquissimam apud nos vigentem, ministrandi sacramentum confirmationis infantibus ante usum rationis, ad mentem declarationis die 30 Junii 1932 a Sacra Congregatione de Sacramentis datae. Graves enim obstant causae quominus lex communis Ecclesiae Latinae nostris regionibus applicetur, seu confirmationis administratio ad septimum circiter aetatis annum differatur.

332 .—Juxta can. 786, ut quis licite et fructuose confirmetur, debet esse in statu gratiae constitutus et, si usu rationis polleat, sufficienter instructus. Quare:

1.0 Confirmandi usum rationis habentes hujus sacramenti susceptioni praemittant sacramentalem confessionem, aut saltem actum contritionis perfectae.

2.0 Parochi et missionarii, moniti ab Episcopo de die quo sacra confirmatio solemniter ministrabitur, per quindecim saltem, dies, eos confirmandos, quos usum rationis jam attigisse noverint, diligenter doceant rudimenta fidei, ea praesertim quae sunt de necessitate medii, necnon naturam, dignitatem, effectus hujus Sacramenti ac dispositiones ad ipsum digne recipiendum requisitas.

3.0 Quo uberior fructus percipiatur ex hac instructione catechetica, quae tantum juvat ad animos puerorum excolendos et in doctrina catholica solidandos, sacerdotes ne sint faciles ¹

¹ Cone. Manii. I, n. 610.

in schedula confirmationis concedenda; sed iis tantum, qui interrogationibus factis bene satisfecerint, eam tradant, reliquos autem nullo modo ad sacramentum confirmationis suscipiendum admittant.

4.0 Iis autem, qui usu rationis nondum adepto confirmati fuerunt, postquam ad adultiorem pervenerint aetatem, omnia ad hoc Sacramentum spectantia, praesertim ejus naturam et virtutem, explicare ne omittant parochi aliique animarum curatores.

333 .—Illis vero neophytis qui, in articulo mortis baptizati, satis instrui nequeunt, non est conferendum confirmationis sacramentum, nisi saltem habeant aliquam intentionem percipiendi confirmationem ad robur animae suae adjiciendum.¹

334.—Caveant confirmandi ne sordida fronte capillisque implexis, itemque patrini ne tumultuarie aut cum vanis ornamentis vel fucata facie, ad hoc sacramentum accedant; sed, vestibus simplicibus atque ad modestiam compositis induti, cum omni decentia ecclesiam omnes adeant, ac debito ordine ad locum confirmationis properent.

335 •—Licet ad valorem sacramenti non requirantur ea quae ipsam confirmationem praecedunt aut sequuntur, ut expresse declaravit S. Officium diebus 17 Apr. 1872 et 22 Mart. 1892, sedulo tamen observandum est praescriptum can. 789: “Confirmandi, si plures sint, adsint- primae manuum impositioni seu extensioni, nec nisi expleto ritu discedant”\

Concilium igitur omnibus ad quos pertinet enixe commendat ut, quoties ingens confirmandorum multitudo habeatur, caeremoniae confirmationis ita iterentur, ut, singulis vicibus,¹

¹ S. C. S. Off., 10 Apr. 1861.

nonnisi eae personae admittantur quas ipsa ecclesia commode capere potest.

Art. 3. De patrinis et adnotatione confirmationis.

336. —Quae de patrinis baptismi dicta sunt in decr. 309-313> generatim de patrinis quoque in confirmatione adhibendis intelligantur. Serventur praeterea praescripta canonum 794, 795 et 796-

337. —Cum etiam ex valida confirmatione oriatur inter confirmatum et patrinum cognatio spiritualis, ex qua patrinus obligatione tenetur confirmatum perpetuo sibi commendatum habendi ejusque christianam educationem curandi, ad normam can. 797, animarum pastores frequenter hanc obligationem inculcent, ej usque implementum prudenter urgeant.

338. —Ut ea quae in can. 798 praescribuntur rite observari queant, diligenter curent parochi ac missionarii ut schedulae confirmationis clare ac dilucide semper scribantur, omissis abbreviationibus quae confusionem gignere possunt, atque adhibito quoad fieri possit atramento pro debita adnotatione.

339. —Quoties ministri extraordinarii, de quibus dictum est in decr. 326, confirmationem conferant fidelibus in mortis periculo ob gravem morbum constitutis:

i.o Collati sacramenti adnotationem minister extraordinarius in paroeciali confirmatorum libro peragat, ibidem inscribendo nomen suum ac nomina confirmati (et si ejus subditus non sit, etiam illius dioecesis et paroeciae) parentum et patrini, diem et locum, adjectis demum verbis: “confirmatio collata est ex Apostolico induito, urgente mortis periculo ob gravem confirmati morbum”.

2.0 Adnotatio facienda est etiam in libro baptizatorum, ad normam can. 470 § 2.

3.0 Si confirmatus sit alienae paroeciae, quamprimum minister ipse de collato sacramento parochum confirmati proprium certiore reddat per authenticum documentum, quod omnes notitias complectatur de quibus supra.

Caput IV.

De sacrosancto Missae sacrificio.

Ari. 1. De sacerdote celebrante.

340 .—“Potestatem offerendi Missae sacrificium habent soli sacerdotes.”¹

Probe igitur sciant omnes fideles, nullum offerri sacrificium a pseudo-presbyteris schismaticis seu *aglipayanis*, vera ordinatione sacerdotali nunquam initiatis; neque ab iis, qui ante eorum schisma rite ordinati fuerunt, si Missam celebrent juxta libros rituales memoratae sectae schismaticae, praetermissa forma essentiali ab Ecclesia Catholica praescripta in consecratione panis et vini.

341 •—Parochi et rectores ecclesiarum diligenter observent ea quae in can. 804 statuuntur, circa sacerdotes extraneos ad Missae celebrationem admittendos. Sequentes praeterea normae, ab omnibus ad quos spectant servandae sunt:

1.0 Documenta vulgo dicta *Celebret*, quae a sacerdotibus extraneis proferantur, accurate expendenda sunt a nostris parochis et ecclesiarum rectoribus;

2.0 Litterae commendatitiae *quamprimum* Curiae dioecesanae recognitioni subjiciantur, quoties agatur de sacerdoti-

¹ Can. 802.

bus ritus orientalis, aut de presbyteris ex aliis nationibus advenientibus.¹

3.0 Sacerdotes litteris commendatitiis carentes, nonnisi ad paucos dies ad celebrandum admittantur, et de eorum adventu Ordinarius loci certior in omni casu fiat;

4.0 Ad celebrandum Missae sacrificium sacerdotes ne admittantur, nisi sint talari veste induti ad normam can. 811

§ i.^{1,2}

342 •—“Sacerdoti celebrare ne liceat, nisi jejunio naturali a media nocte servato.”³ Vi tamen Const. *Christus Dominus* a Pio XII datae die 6 Jan. 1953, aqua *naturalis* (id est sine ulla cujuslibet elementis adjectione) non amplius frangit jejunium eucharisticum.

343.—Sacerdotes infirmi, etiamsi non decumbant, sive sint Missam celebraturi, sive sanctissimam Eucharistiam recepturi :

1.0 Aliquid sumere possunt per modum potus, exceptis alcoholicis, si, suae infirmitatis causa, usque ad Missae celebrationem vel sacrae communionis receptionem jejunium absque gravi incommodo nequeunt servare integrum;

2.0 Possunt etiam aliquid sumere per modum medicinae, sive liquidum (exclusis alcoholicis), sive solidum, dummodo de vera medicina agatur, a medico praescripta vel uti tali vulgo fecepta.

3.0 Advertendum autem est, non posse tamquam medicina haberi quodlibet solidum pro nutrimento sumptum.

¹ S. C. Consist., 30 Dec.

²S. C. Cone., 28 Jul. 1931.

³ Can. 808.

344.—Sacerdotes non infirmi, qui vel tardioribus horis (id est post horam nonam), vel post gravem sacri ministerii laborem (v. gr. jam a summo mane seu per longum tempus), vel post longum iter (id est saltem duorum km. circiter pedibus percurrendum, vel proportionate longius pro variis vehiculis adhibitis, difficultatis quoque itineris vel personae habita ratione) celebraturi sunt; aliquid sumere possunt per modum potus, exclusis alcoholicis, et quidem semel vel pluries, servato jejunio saltem per spatium unius horae antequam sacris operentur.

345 .—Omnes sacerdotes, qui bis vel ter eadem die sunt Missam celebraturi, possunt in prioribus Missis duas ablutiones a rubricis Missalis praescriptas sumere, sed aqua tantum adhibita.

Qui tamen die Nativitatis Domini vel in Commemoratione omnium fidelium defunctorum tres Missas sine intermissione celebrat, quod ad ablutiones attinet, rubricas observare tenetur.

Si vero sacerdos, qui bis vel ter Missam celebrare debet, per inadvertentiam vinum quoque in ablutione sumat, non vetatur quominus secundam et tertiam Missam celebret.

Art. 2. De Missae iteratione.

346 .—In festo Nativitatis Domini omnes sacerdotes possunt tres Missas celebrare, licet ad id nullo modo teneantur. Sacerdos praeterea triplici celebratione potest eodem die tribus distinctis obligationibus satisfacere; et ideo tres Missas applicare stipendio pro unaquaque accepto, nisi aliunde teneatur Missam pro populo celebrare.¹

¹ Cfr. Instruct. S. C. S. Off., 6 Jan. 1953. nn. 3-8.

347. —Die Commemorationis omnium fidelium defunctorum omnibus pariter sacerdotibus facultas est ter offerendi Eucharisticum Sacrificium. Sed unum tantum accipere licet stipendium, pro applicatione unius e tribus Missis; et duae reliquae Missae gratuito celebrandae sunt, altera in suffragium omnium fidelium defunctorum, altera ad mentem Romani Pontificis. Pro his tamen duabus Missis, retributio aliqua accipi potest ratione extrinseci incommodi.

348. —Sacerdos qui, ob debilitatem visus aliamve justam causam, ex induito apostolico celebrat aliquam e Missis votivis aut Missam quotidianam defunctorum, potest ter eadem Missam votivam dicere in festo Nativitatis Domini, et pariter ter Sacrum facere in Commemoratione omnium fidelium defunctorum Missam quotidianam repetendo."

349. —Reliquis per annum diebus, "non licet sacerdoti plures in die celebrare Missas, nisi ex apostolico induito aut potestate facta a loci Ordinario."

"Hanc tamen facultatem impertiri nequit Ordinarius, nisi cum, prudenti ipsius iudicio, propter penuriam sacerdotum die festo de praecepto notabilis fidelium pars Missae adstare non possit; non est autem in ejus potestate plures quam duas Missas eidem sacerdoti permittere."³

Licentiam ad binandum diebus festis de praecepto, in sequentibus praesertim casibus necessitatis impertimur.

i.o Quando unicus est sacerdos cui commissa est cura duarum paroeciarum, quarum fideles nequeunt ex alterutra in alteram ad Sacrum audiendum advenire;^{1 2 3}

¹ Praeses Comm. Pont. ad Cod. Can. auth. interpr., 13 Dec. 1923.

² S. C. Rit., 26 Jan. 1920.

³ Can. 806.

2.0 Quando idem sacerdos duos populos adeo sejunctos habet, ut alter ipsorum parochus celebranti per dies festos adesse nullo modo possit, ob locorum maximam distantiam;

3.0 Quando una tantum sit ecclesia, in qua Missa celebratur et ad quam insimul universus populus convenire non potest;

4.0 Si monasterium, domus pia vel religiosa secus careret Missa, nec in ea commorantes possent sine gravi incommodo ad aliam ecclesiam accedere, nec adsit alius sacerdos.

350 .—Curiones sacri sciant eis omnino prohiberi Sacrum iterare in festis suppressis, atque a fortiori diebus ferialibus, etsi magno solemnique apparatu, ratione mysterii quod recolatur, celebrentur; nisi facultas a Sancta Sede concessa sit.

351 .—“Quoties pluries in die celebrat, si unam Missam ex titulo justitiae applicet, sacerdos, praeterquam in die Nativitatis Domini, pro alia eleemosynam recipere nequit, excepta aliqua retributione ex titulo extrinseco.”¹

Sed in dioecesibus ubi, ex apostolico indulto, Episcopus adigat presbyteros ad Missam binatam in favorem causae piae applicandam, sacerdos tenetur, aut Missam binatam ad intentionem Episcopi celebrare, aut eidem mittere integrum stipendium alterius Missae a se celebratae.²

Art. 3. De Missae ritibus et caeremoniis.

352 .—Maximam diligentiam adhibeant sacerdotes, ut panis triticeus consecrandus sit recens, purus et albus, itemque ^{1 2}

¹ Can. 824 § 2.

² S. C. Cone., 8 Maii

2.o Servetur aut, si in desuetudinem abierit, restituatur antiqua consuetudo apud nos vigens, alium cereum accensum prope corporale habendi in Missis sive cantatis sive lectis, a tempore primae consecrationis usque ad communionem inclusive.

355 .—Praeter quinque colores paramentorum in rubricis Missalis praescriptos, ac praeter colorem rosaceum permissum a Caeremoniali Episcoporum in dominica tertia Adventus et in dominica quarta Quadragesimae, licite in omnibus ecclesiis et oratoriis nostrae regionis adhibetur color *caeruleus* in Missis sive solemnibus sive privatis Beatae Mariae Virginis Immaculatae, non autem in Missis Apparitionis de Lourdes, neque in Missis Manifestationis a numismate miraculoso.

356. —Legitima est consuetudo in his Insulis ab antiquissimis temporibus vigens, celebrandi Missas vulgo dictas *de Aguinaldo*, pro constantia philippinorum in fide et pro religionis conservatione in his partibus.

Novem nempe diebus Nativitatem Christi Domini praecedentibus, Missa votiva sollemnis *Rorate coeli desuper* cum magna solemnitate magnoque populi concursu cantatur, semel unoquoque die, in ecclesiis praesertim paroecialibus et conventualibus.

Missae hujusmodi celebrantur cum Gloria, oratione propria, commemoratione Feriae occurrentis, praefatione B. M. Virginis et ultimo Evangelio S. Joannis in fine, exceptis diebus dominico et festis duplicibus primae classis fortasse occurrentibus.”

¹S. Pius X, 11 Febr. 1910

² Cfr. Decretum Sacrae Congregationis Rituum “De Rubricis”, diei 23 Martii 1955. (Acta Apost. Sedis, XXXXVII, pag. 218-224).

357. —Circa Missam sic dictam *recitata*, sequentes normae a Sacra Rituum Congregatione die 4 Augusti 1922 datae, prae oculis habeantur a locorum Ordinariis:

1.0 Per se licet coetui fidelium adstanti sacrificio Missae, simul et conjunctim respondere sacerdoti celebranti, loco ministri inservientis;

2.0 Quae per se licent, non semper expediunt ob inconvenientia quae facile oriuntur, praesertim ob perturbationes quas sacerdotes celebrantes et fideles adstantes experiri possunt cum detrimento sacrae actionis et rubricarum;

3.0 Quapropter expedit ut servetur praxis communis, ut in simili casu pluries responsum est.

4.0 Non potest autem permitti fidelibus adstantibus id quod a rubricis vetitum est sacerdotibus celebrantibus, qui Canonis verba *secreto* dicunt ut sacris mysteriis major reverentia concilietur, et in ipsa mysteria fidelium veneratio, modestia et devotio augeantur.

5.0 Ideoque tamquam abusus reprobandus est mos, quo fideles Sacro adstantes elata voce legant Secreta, Canonem atque ipsa verba Consecrationis, quae juxta rubricas *secreto* dici debent a sacerdote; et, sicubi introductus est talis usus, omnino amovendus est.

Art. 4. De tempore et loco Missae celebrandae.

358. —Juxta can. 820, Missae sacrificium omnibus diebus celebrari potest, exceptis iis qui proprio sacerdotis ritu excluduntur. Nostris igitur in regionibus, sequentia animadvertenda sunt circa ultimum triduum hebdomadae majoris:

1.0 Feria V in Coena Domini, in omnibus ecclesiis et oratoriis ubi jure vel privilegio asservatur SS. Sacramentum

potest, in paroecialibus autem et cathedralibus *debet* Missa sollemnis celebrari; et quidem, ubi clerus desit sufficiens ad majorem solemnitatem, juxta Memoriale Rituum Benedicti XIII.

2.0 Episcopus permittere potest ut, antequam Missa sollemnis Feria V in Coena Domini celebretur, altera Missa legatur pro infirmis, qui solemniter interesse nequeunt.

3.0 Si in Coena Domini incidat festum de praecepto seu Sancti Joseph, tot Missae legendae sunt quot necessariae sint ut fideles omnes possint satisfacere praecepto.

4.0 Feria VI in Parasceve dicitur tantum Missa Praesanc- tificatorum, et nullo modo licet aliam Missam celebrare.

5.0 Sabbato Sancto unica Missa sollemnis vel cantata celebratur in ecclesiis et oratoriis, ubi diebus praecedentibus sacrae functiones peractae fuerint. Nulla autem permittitur Missa *privata*, nisi ex apostolico induito, aut forte in casu necessitatis pro ministrando viatico.

6.0 Prae oculis demum habeantur decreta S. Congr. Rit., 9 Febr. 1951 et 11 Jan. 1952, de solemniter vigilia paschali instauranda.

359 .—In nocte Nativitatis Domini:

1.0 Inchoari media nocte potest sola Missa conventualis vel paroecialis;

2.0 Unus sacerdos tres rituales Missas celebrare potest in oratorio domus pie aut religiosae, ad normam can. 821 § 3;

3.0 Ut Ordinarii locorum possint permittere celebrationem trium Missarum de ritu, in ecclesiis religiosorum non comprehensis in can. 821 § 3, ita tamen ut dictae tres Missae ab uno eodemque sacerdote celebrentur, requiritur facultas a S. Sede concessa.

4-0 Nulla alia Missa celebrari potest sine apostolico indulto.

360. —Ordinarii locorum, si indultum apostolicum habeant :

1.0 Permittere queunt sacerdotibus usum altaris portatilis, ita tamen ut hujusmodi usus sit tantum in fidelium bonum, atque illis in locis in quibus ecclesiae vel publica oratoria desint, aut paroecialis ecclesia sit longe distans; dummodo celebrationis locus sit decens atque honestus, super petra sacra celebretur, et parochi ceterique sacerdotes, quibus haec facultas tribuetur, Sancti Evangelii explicatione vel catechesis traditione fideles Sacro adstantes instruant.

2.0 Concedere possunt sacerdotibus facultatem celebrandi in mari sacrosanctum Missae Sacrificium, durante dumtaxat tempore itineris, dummodo locus, in quo Missa peragenda est, nihil indecens aut indecorum prae se ferat, mare aut flumen sit adeo tranquillum, ut quodcumque e calice effusionis sacrarum specierum periculum absit; atque alter sacerdos superpelliceo indutus, si adsit, celebranti presbytero adsistat.

361. —Ordinarii locorum, in usu facultatis sibi a can. 822 § 4 concessae, sedulo attendant sequentes normas a Sancta Sede datas:

1.0 Facultas permittendi Missae celebrationem in domo privata, intelligenda est restrictive.

2.0 Non est permittenda Missae celebratio domi, praesente cadavere, in loco vulgo *camera ardente*, nisi agatur de casu aliquo extraordinario, atque adsit justa et rationabilis causa; v. gr. occasione obitus Episcopi residentialis, aut perso-¹

¹ Pont. Comm. ad Cod. Can. auth. interpr., 16 Oct. 1919.

nae e principe familia, aut aliter insignis ob merita et benefacta in Ecclesiam vel in rempublicam, vel ob munificentissimas elargitiones in pauperes et egenos; dummodo semper debitae exsequiae expleantur in Ecclesia. Tunc Ordinarius permittere poterit unius aut alterius Missae, sed non plus quam trium Missarum celebrationem.¹

3.0 Facultas celebrandi sub dio ob justam et rationabilem causam, intelligenda est de causa extraordinaria, quae ad cultum divinum atque spirituale fidelium bonum exclusive pertineat, non autem de causa mere profana, politica, superstitiosa, etc.”

4.0 Quoties Missa sub dio permittatur, curandum erit quod altare tribus e lateribus tegatur, ut ipsum a ventis protegatur.^{1 2}

3

Art. 5. De Missis vespertinis.

362. —Ordinarii locorum facultate fruuntur permittendi in proprio territorio Missae vespertinae celebrationem, si adjuncta id necessario exigunt, praescripto can. 821 § 1 non obstante.

Bonum enim commune aliquando sacrorum mysteriorum celebrationem post meridiem exoptulat: v. gr. pro quarumdam industriarum opificibus, qui festis quoque diebus laboribus succedunt in vices; pro illis operariorum classibus, qui matutinis festorum horis occupantur, ut muneribus portuum addicti; pro iis pariter qui ex dissitis etiam regionibus maxima frequentia in unum locum conveniunt, ad quamdam festivitatem religiosam vel socialem celebrandam, etc.

¹ S. C. de Sacram., 3 Maji

² S. C. de Sacram., 26 Jul.

³ S. C. de Sacram., 26 Mart.

363. —Missae vespertinae celebratio permitti nequit ante horam quartam post meridiem, nec nisi in certis diebus *taxative* statutis, nempe:

a) Festis de praecepto vigentibus, ad normam can. 1247

§ 1;

b) Festis de praecepto suppressis, juxta Indicem a Sacra Congregatione Concilii editum die 28 Decembris ¹⁹¹⁹>

c) Primis cujusque mensis feriis sextis;

d) Ceteris sollemnibus, qui cum magno populi concursu celebrantur;

e) Die uno in hebdomada, praeter dies supra memoratos, si bonum peculiarium personarum classium id postulat.

In locis, ubi non jus commune, sed *jus missionum* viget, Ordinarii Missas vespertinas omnibus in hebdomada diebus, iisdem conditionibus permittere possunt.

364. —Sacerdotes qui pomeridianis horis Missam celebrant, servent jejunium saltem *trium horarum* quoad cibum solidum et potus alcoholicos et saltem *unius horae* quoad ceteros potus non alcoholicos.

In his autem Missis, christifideles ad Sacram Synaxira accedere poterunt, quamvis non sint de eorum numero pro quibus Missa vespertina forte instituta sit, eadem norma servata ad jejunium Eucharisticum quod attinet.

365.—Sacerdotes, eodem die, nequeunt mane et vespere Sacrum litare, nisi potestatem expressam bis terve Missam celebrandi habeant, ad normam can. 806.

Fideles pariter, eodem die, nequeunt mane et vespere a sacram Synaxim accedere, ad praescriptum can. 857.

¹ Cfr. Instruct. S. C. S. Off., 6 Jan. 1953, nn. 12-16.

Art. 6. De Missarum stipendiis.

366.—Cum stipendii quantitas nequeat esse eadem pro universis Insulis Philippinis, ob diversa rerum et locorum adjuncta in quibus sacerdotes versantur, cumque uniformitas quaedam cum vicinis dioecesibus servanda sit ad fidelium aedificationem; Concilium exoptat atque Ordinariis locorum enixe commendat ut in definienda manuali Missarum stipe, quantum fieri potest, una eademque norma stabiliatur in unaquaque provincia ecclesiastica.

367 .—Taxam stipendii seu eleemosynae Missarum manualium statuunt Ordinarii loci in suo quisque territorio per decretum, quoad fieri possit, in dioecesana Synodo latum; aut saltem, auditis consultoribus dioecesanis vel Consilio Missionis, atque habita ratione locorum et circumstantiarum.

Ubi desit Ordinarii decretum, servetur consuetudo communis dioecesis, seu quae totam dioecesim moraliter sumptam vel saltem notabilem ejus partem respiciat.

368.—Sacerdotes ac religiosi, etiam exempti, circa stipem manualementem stare debent decreto Ordinarii loci aut dioecesis consuetudini legitima.¹

Quare nefas est sacerdotibus, sive saecularibus sive religiosis, eleemosynam taxa dioecesana majorem exigere aut petere; licet autem eis oblatam ultro majorem stipem pro Missae applicatione accipere.

Praeterea, ad mentem canonis 832 et decreti a S. Congregatione Concilii dati die 1 Augusti 1941, interdicimus absoluteque prohibemus ne pro Missis manualibus stipendium minus

¹ Can. 831 §§ 1-3.

taxa dioecesana a sacerdotibus accipiatur, religiosis minime exceptis; etsi ea merite hoc fiat, ut Missae celebrandae mittantur ubi stipendia minoris pretii esse solent.

369. —Et ne, hac de causa, qui tenuioris sunt conditionis prohibeantur Missas applicandas tradere, locorum Ordinarii praescribere curent ut in unaquaque ecclesia, etiam religiosa seu regulari, collocetur capsula aliqua ad oblationes, cujusvis sint valoris, colligendas pro Missis applicandis; et ex pecunia ita collecta, tot applicentur Missae ad mentem oblatores, quot satis sint ad rationem eleemosynae in dioecesi vigentis.

370. —Juxta can. 828, tot celebrandae et applicandae sunt Missae quot stipendia etiam exigua data et accepta fuerint. Quare:

1.0 Omnino justitiae contrarius est abusus quo, praeter fidelium intentionem, ex pluribus privatarum Missarum stipendiis, Missae cantatae stipendio conflato celebrentur, ita ut una Missa cantata pluribus Missis privatis seu lectis substituatur.

2.0 Ordinarii omnino submoveant praxim alicubi vigentem conjungendi duas vel plures Missas cantatas, ita ut, consentientibus oblatores, una tantum Missa cantetur ad intentionem ex oblati compositam, pro qua stipendium juxta taxam dioecesanam sumatur, ceterum vero impendatur pro piis operibus.³

3.0 Vetitum est importunis suasionibus aliisve modis, fidelium consensum exquirere ad Missarum intentiones quoquo modo cumulandas.^{1 2 3}

¹ S. C. Cone., 1 Aug.

² Cfr. Cone. Manii. I, n.

³ S. c. Cone., 9 Jul. 1921.

4-0 “In ecclesiis in quibus ob fidelium peculiarem devotionem Missarum eleemosynae ita affluunt, ut omnes Missae celebrari ibidem debito tempore nequeant, moneantur fideles, per tabellam in loco patenti et obvio positam, Missas oblatas celebratum iri vel ibidem, cum commode poterit, vel alibi.”

5.0 Idipsum servetur quoties sacerdotes obruantur sollicitationibus forte importunis Missarum celebrandarum, maxime si, ut die Commemorationis omnium fidelium defunctorum accidere solet, oblatores aegre ferant ut Missae ab ipsis oblatae non acceptentur, vel ut foras mittantur.

371 .—Circa stipendiorum transmissionem haec sunt tenenda :

1.0 Qui habent Missarum numerum de quibus sibi liceat libere disponere, possunt eas tribuere sacerdotibus sibi acceptis, tum dioecesanis tum extradioecesanis, dummodo probe sibi constet eos esse omni exceptione majores vel testimonio proprii Ordinarii commendatos.

2.0 Missae autem fundatae, vel ad instar manualium, vet manuales datae intuitu causae piae, nequeunt alio transmitti nisi servatis normis a proprio Episcopo datis.^{1 2}

3.0 Ne tamen Missae pro Seminario celebrandae unquam in Curia episcopali desint, diligenter curent parochi ut ad eam- dem tempestive mittant stipendia quibus ipsi non indigent.

372 .—Rectores ecclesiarum aliorumque piorum locorum sive saecularium sive religiosorum in quibus eleemosynae Mis-

¹ Can. 836.

²S. C. Cone., 19 Febr.

sarum recipi solent, peculiarem habeant librum in quo accurate notent Missarum receptorum numerum, intentionem, eleemosynam, celebrationem.¹

Hujusmodi liber ab unoquoque sacerdote celebrante sub-
signetur, a vicario foraneo quotannis inspiciatur, atque ab Ordinario
occasione canonicae visitationis recognoscatur.

373. —Singuli sacerdotes accuratissimam receptorum Mis-
sarum rationem instituant, easque mox in speciali libro a se
asservando inscribant, unde perspicue constet quo die, quot Missae,
qua intentione, quo stipendio quibusve conditionibus receptae sint,
quomodo eisdem satisfactum sit, quibus denique oneribus nondum
satisfecerint.

374. —Cum ex praescripto canonis 842, jus et officium
advigilandi ut onera Missarum adimpleantur, in ecclesiis sae-
cularium ad loci Ordinarium, in religiosorum ecclesiis ad eorum
Superiores pertineat: Concilium iis omnibus commendat ut
accurate huic officio incumbant ad normam sacrorum canonum, ita
ut de Missarum sive fundatarum sive manualium aut ad instar
manualium satisfactione constet.

Quodsi ob imminutos redditus aliamve causam, aut ob
deperditam dotem, reductio, moderatio seu commutatio onerum
Missarum necessaria videatur, ad Apostolicam Sedem semper
recurrant ad normam praesertim canonum 1517 ff 1551.

¹ Can. 843 § 1.

Caput V.

De sanctissimo Eucharistiae sacramento.

Art. i. De ministro sacrae communionis.

375 .—“Minister extraordinarius sacrae communionis est diaconus, de Ordinarii loci vel parochi licentia, gravi de causa concedenda, quae in casu necessitatis legitime praesumitur.

Sufficit causa mediocriter gravis, ut v. gr. si fideles velint ad sacram Synaxim etiam ex mera devotione accedere et sacerdos absit, si communio sit distribuenda magnae fidelium multitudini et sacerdotes ad id sufficientes desint, si parochus seu sacerdos sit aliis curis detentus, etc.

Diaconus sacram communionem ministrans, potest et debet in fine ritus benedictionem manu impertire, juxta Rituale Romanum tit. IV, cap. 2, num. io.~

376. —Cum ex communi experientia nullum in nostris regionibus adsit inconueniens pro privata delatione sacrae communionis ad infirmos, sacerdotibus nostris facultatem facimus toties eam privatim ad aegrotos deferendi, quoties justa et rationabilis causa eorum iudicio existat, ad normam canonum 847 et 849.*

Quando privatim sacra communio infirmis ministratur, reverentiae ac decetiae tanto sacramento debitae sedulo consulatur, servata praescriptione Ritualis Romani tit. IV, cap. 4, num. 29: “Sacerdos saltem stolam semper habeat propriis coopertam vestibus; in sacculo seu bursa pyxidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat; et numquam solus procedat, sed uno saltem fidei, in defectu clerici, ^{1 2 3}

¹ Can. 845 § 2.

² Pont. Comm. ad Cod. Can. auth. interpr., 13 Jul.

³ S. C de Sacram., 5 Jan. 1928.

associetur. Cum autem ad infirmi cubiculum pervenerit, sacerdos superpelliceum quoque induat cum stola, si illud antea non induerit”.

377. —Quando sacra communio distribuitur pluribus infirmis, qui in eadem domo, vel in eodem hospitali, sed in distinctis cubiculis degant, sacerdos vel diaconus ministrans, in primo tantum cubiculo recitet plurali numero omnes preces ante infirmorum communionem dicendas juxta Rituale Romanum tit. IV, cap. 4; in aliis autem cubiculis dicat tantummodo preces: *Misereatur tui... Indulgentiam... Ecce Agnus Dei...*, semel *Domine non sum dignus... Accipe frater* (roror) ... vel *Corpus Domini*..et in ultimo cubiculo addat versum: *Dominus vobiscum* cum suo responsorio et cum sequenti oratione plurali numero dicenda: *Domine sancte...*; ibique, si particula consecrata superfuerit, benedictionem eucharisticam impertiatur, ac tandem reliquas preces praescriptas in Ecclesia de more persolvat.¹

Art. 2. De subjecto sacrae communionis.

378. —Licet expediat ut pueri ad sacram Synaxim prima vice non accedant nisi post receptum confirmationis sacramentum, quod est veluti complementum baptismatis et in quo datur plenitudo Spiritus Sancti,” non tamen iidem censendi sunt prohiberi quominus ad eandem Mensam prius admittantur, si ad annos discretionis pervenerint, quamvis confirmationis sacramentum antea accipere non potuerunt.^{1 2 3}

¹ S. C. Rit., 9 Jan. 1929.

² S. THOMAS, p. III, q. 72, art. 2.

³ S. C. de Sacram., 30 Jun. 1932.

379.—Omni studio nitantur parentes eorumque locum tenentes, ad mentem decreti *Quam singulari* diei 8 Augusti 1910, ut pueri ac puellae pane eucharistico reficiantur quum ad annos discretionis perveniunt seu incipiunt ratiocinari, hoc est circa septimum aetatis annum.

Caveant autem sacerdotes ne in sanctissima Eucharistia hujusmodi pueris ministranda, ampliorem catechismi cognitionem exigant ultra id quod a canone 854 requiritur, atque ideo sequentes normas in praxi sequantur:

1.0 Eucharistia non est praebenda pueris qui, propter aetatis imbecillitatem, nondum sciunt sub specie panis vere esse Christum Dominum, neque habent gustum spiritualem seu affectum et desiderium eumdem suscipiendi.

2.0 In periculo mortis, ut pueri possint ac debeant sanctissimum Sacramentum recipere, satis est ut sciant panem eucharisticum seu Corpus Christi a communi et profano cibo distinguere, eumque reverenter adorare seu cum debita pietate ac religione suscipere.

3.0 Extra mortis periculum requiritur ut saltem credant Deum existere eumque esse remuneratorem, pro sua capacitate percipiant mysteria Sanctissimae Trinitatis et Incarnationis, ac realem Christi praesentiam in Eucharistia ad spiritualem animarum refectionem; et devote, ut fert ipsorum aetas, panem eucharisticum recipiant.

4.0 Necessaria non est in ipsis plena et perfecta doctrinae christianae cognitio, neque ut memoria retineant consuetas orationes aut partes quasdam catechismi.

5.0 Sedulo autem curandum est ut, post primam communionem, iidem pueri catechesi interesse pergant ac pleniore religionis notitia imbuantur.

380 •—Plenior cognitio doctrinae christianae et accuratior praeparatio merito exigitur ab illis, qui absque ulla fere instructione religiosa adoleverunt, atque in adolescentia vel in adulta aetate primam communionem suscipere exoptant, idque praesertim occasione alicujus eventus familiaris aut magnarum festivitatum.

Praeter enim fidei veritates necessitate mediis credendas, oportet ut ii orationes praecipuas, Dei atque Ecclesiae praecepta, Sacramenta, modum denique fructuose peccata confitendi atque ad sacram Synaxim accedendi tempestive addiscant; eo vel magis quod, ut quotidiana experientia constat, multi ex iis parum deinde curant de ulteriore religionis doctrina acquirenda.

381 •—Parochi universi ac generatim quotquot animarum curam gerunt:

1.0 Debent peculiari omnino studio, praesertim, si nihil obsit, Quadragesimae tempore, pueros sic instituere ut sanjte Sancta primum de altari libent.¹

2.0 Quod si primae communionis solemnitas alio anni tempore, rationabili de causa, celebrari contigerit, aptius eligant tempus quo, per quadraginta dies aut saltem per mensem, recte instruant pueros qui primo sacram suscepturi sunt communionem, ut eorum pietatem noscant, necnon ut majore ipsi pueri erga hoc Sacramentum teneantur reverentia, tantoque dono digniores efficiantur.²

3-0 Proximo saltem triduo ante communionis diem curent, per appositas adhortationes ac meditationes aliaque opera, pueros ac puellas occupare, ut ardentius disponantur ac

¹ Can. 1330, n. 2.

² Cone. Manii. I, n. 620.

divino magis inflammentur amore erga caelestem cibum aeternaeque salutis pignus.

4.0 Diem primae communionis puerorum ita celebrare conentur, ut cultu perquam splendido hujusmodi Synaxis habeatur, invitatis praesertim parentibus eorumdem puerorum necnon aliis juvenibus qui jam antea primitus de altari Sancta libarunt.

5.0 Pueros ac puellas prima vice ad sacram Mensam accessuros, praevia innovatione promissionum baptismalium (si ita expedire videatur) Sacratissimo Cordi Jesu et Sanctissimae Virgini ab origine Immaculatae, opportuna prece solemniter consecrent, et pio sermone excitent ad amantissimum Cor Jesu injuriis et nequioribus ausibus lacessitum supplici atque humili obsecratione leniendum, necnon ad tantae Matris praesidium quotidie exorandum et virtutibus ei carioribus promerendum

6.0 Innovatio et consecrationes de quibus in num. 5.0- praecedenti, si quavis de causa praetermissae fuerint in solemnitate primae communionis, fiant tempore apto postquam, pueri ac puellae plenior instructionem religiosam acceperint.

7.0 Peracta autem prima communione, pueris ac puellis invigilare non desinant, quin potius majori illos prosequantur sollicitudine, utpote multiplici tentationum generi obnoxios, nihilque omittant ut frequenti Sacramentorum usu in bono proposito perseverent.

382 .—Summus Pontifex S. Pius X, ad instantiam Patrum Concilii Manilani I, sancire dignatus est die 11 Febr. 1910 antiquam consuetudinem apud nos vigentem, nempe, ut catholici philippini vel in his Insulis commorantes paschalis communionis obligationi a Dominica in Septuagesima ad diem.

festum Beatorum Apostolorum Petri et Pauli inclusive satisfacere possint.

Quare memorata consuetudo induit nunc naturam veri privilegii, in perpetuum seu absque ulla temporis limitatione concessi, et quidem in favorem omnium christifidelium in his regionibus degentium.

383. —“Excitentur fideles ut frequenter, etiam quotidie, pane Eucharistico reficiantur ad normas in decretis Apostolicae Sedis traditas; utque Missae adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam sanctissimae Eucharistiae perceptione, rite dispositi, communicent”.

Ad praecavendos autem abusos, qui in hac re irrepere possunt, normae sequentes servantur:"

i .o Concionatores atque spiritus moderatores, hortantes publice vel privatim fideles, adolescentulos praesertim, ad frequentem et quotidianam communionem, in hac hortatione ne acquiescant, sed simul aperte doceant eam non praecipi, atque eandem fieri non posse nisi necessariis concurrentibus conditionibus.

2.0 Una cum communionem frequenti promovenda est frequens confessio, ita ut fidelibus ad sacram Synaxim saepius accedentibus commendetur praxis confessionis hebdomadariae aut saltem bimenstruae.

3.0 In communitatibus praesertim juvenum, invitari possunt omnes ad communionem eodem die instituendam, nullo autem pacto sunt ad id cogendi, qui a communionem recipienda forte absterneant. Vitari praeterea debent ea omnia, quae diffi-^{1 2}

¹ Can. 863.

² Cfr. Inscr. S. C. de Sacram.. 8 Dec. 1938.

cilem reddere possunt conditionem eorum qui, in similibus occasionibus, ad sacram Mensam non accedant.

384 .—Parochi et missionarii, memores divini praecepti quo fideles tenentur Eucharistiae sacramentum in mortis periculo sumere, necnon gravis obligationis, qua ipsi adstringuntur, illud administrandi infirmis vita periclitantibus etiam morbo contagioso aut peste correptis, se in hoc officii sui munere facillimos ac diligentissimos praestent, accurate servatis can. 864 et 865 praescriptis.

385 .—Graviter onerantes conscientiam omnium rectorum animarum, eis districte praecipimus ut nulli infirmo vita periclitanti, directe vel indirecte, denegare audeant validissimum auxilium sancti Viatici, licet in locis ruralibus et suburbanis ab ecclesia paroeciali remotis degat. Etenim:

1.0 Aegrotis morti proximis, cujuscumque sint conditionis, quamvis in sordido ac vili degant loco aut tugurio, sacrum Viaticum deferendum est, cum apud Deum nulla sit acceptio personarum, ac pro nostra salute nec stabulum nec crucis ignominiam exhorruerit.¹

2.0 Viaticum administrandum est infirmis etiam rudioribus et neophytis quamvis ignaris, dummodo “saltem discernant cibum spiritualem a corporali, cognoscendo et credendo in sacra Hostia praesentiam Christi Domini”.²

3.0 Ne autem, ob extensionem parochialis territorii vel ob multitudinem parochianorum, infirmi vita periclitantes sanctissima Eucharistia priventur, parochi tenentur in conscientia auxilium aliorum sacerdotum etiam religiosorum implorare, eisque licentiam concedere sanctum viaticum ministrandi.^{1 2}

¹ ALEXANDER VII, 18 Jan.

²S. C. S. Off., 10 Apr. 1861.

Art. j. De jejunio ad sacram communionem requisito.

386 .—Ad recipiendam sacram communionem, jejunium eucharisticum a media nocte servandum est; quod tamen, vi Const. *Christus Dominus*/ potu solius aquae *naturalis* (sine ulla cujuslibet elementi adjectione) non amplius frangitur.

387 .—Fideles infirmi, quamvis non decumbant, de prudenti confessarii consilio, aliquid sumere possunt per modum potus vel verae medicinae, exceptis alcoholicis, ut dictum est de sacerdotibus in decr. 343.

Conditiones, quibus quis dispensatione a lege jejunii frui possit, nulla adjecta ante communionem temporis limitatione, prudenter a confessario perpendendae sunt, neque quisquam sine ejus consilio ea uti potest.

Confessarius autem suum consilium dare poterit sive in foro interno sacramentali, sive in foro interno extrasacramentali, etiam semel pro semper, perdurantibus ejusdem infirmitatis conditionibus.

388 .—Fidelibus, qui non infirmitatis causa, sed ob *aliud grave incommodum* jejunium eucharisticum servare nequeunt, aliquid sumere licet per modum potus, exceptis tamen alcoholicis et servato jejunio unius saltem horae ante sacrae communionis receptionem.

389 .—Causae in quibus *grave incommodum* habetur, tres enumerantur a supra dicta Constitutione, quas extendere non licet, nempe:

a) *Labor debilitans* ante sacram communionem susceptus. Hoc labore afficiuntur tum opifices, qui, officinis vel vehicula-¹

¹ Pii XII Const. Apost., 6 Jan. 1953 (Acta Apost. Sedis XLV, pag. 15 seqs.)

ribus maritimisque muneribus vel aliis publicae utilitatis officiis addicti, diu noctuque per vices occupantur; tum illi, qui ex officio vel ex caritate noctem vigilem transigunt (v. gr. valetudinarii, custodes nocturni, etc.); tum mulieres praegnantes et matresfamilias, quae, antequam ecclesiam adire queant, in domesticis negotiis per longum tempus incumbere debent, etc.

b) *Hora tardior* qua sacra communio recipitur. Sunt enim haud pauci fideles, qui tantummodo serioribus horis possunt apud se sacerdotem habere, qui Sacris operetur; sunt pueri complures, quibus nimis grave est, antequam ad scholam se conferant, ecclesiam adire, angelico pane vesci, postea vero domum reverti jentaculi sumendi gratia.

c) *Longum iter peragendum*, ut ad ecclesiam perveniatur. Longum autem hac super re habendum est iter, ut explicatum est in decr. 344.

390 .—Causae gravis incommodi sunt prudenter a confessario pensitandae in foro interno, sive sacramentali sive non sacramentali; neque licet fidelibus non jejunis, absque ejusdem consilio, sanctissimam Eucharistiam recipere. Ceterum confessarius consilium ejusmodi dare potest etiam *semel pro semper*, causa eadem gravis incommodi perdurante.¹

Art. 4. De tempore et loco sacrae communionis distribuendae.

391 .—Sacra communio distribui potest in Missa, quae sive jure sive apostolico induito celebratur media nocte Nativitatis Domini, nisi loci Ordinarius justis de causis in casibus particularibus id prohibuerit, ad normam can. 869?^{1 2}

¹Cfr. Instr. S. C. S. Off., 6 Jan. 1953, 9-11.

² Pont. Comm. ad Cod. Can. auth. interpr., 16 Mart. 1936.

392. —Juxta can. 869, sacra communio distribui potest ubicumque Missam celebrare licet, etiam in oratorio privato, nisi loci Ordinarius, justis de causis, in casibus particularibus id prohibuerit.

Attentis autem responsionibus die 5 Januarii 1928 et 26 Martii 1929 a Sacra Congregatione de Sacramentis editis, sequentia in praxi servari queunt:

1.0 Fideles, qui in domo infirmi versantur, possunt et ipsi sanctissimam Eucharistiam recipere, quoties ea ad infirmum deferitur; neque ad id peculiaris licentia Ordinarii requiritur.

2.0 Occasione delationis sanctissimae Eucharistiae ad infirmum vel infirmos, potest sacerdos plures particulas consecratas secum deferre, ut eas in ecclesia seu loco sacro distribuat, servatis servandis, fidelibus qui ad ecclesiam ubi asservatur augustissimum Sacramentum nequeant ea die se conferre; neque Ordinarii venia ad id opus est.

3.0 Requiritur e contra Ordinarii venia, licet aliquando sufficiat licentia rationabiliter praesumpta, pro distribuenda communione in praefatis adjunctis *extra* ecclesiam seu locum sacrum, sed in loco honesto ac decenti.

4.0 Ordinarius loci, justa et gravi de causa, potest prohibere in casu particulari Eucharistiae distributionem in praedictis circumstantiis.

Caput VI.

De poenitentia.

Art. 1. De ministro sacramenti poenitentiae.

393. —Minister hujus sacramenti est solus sacerdos. Praeter potestatem ordinis, ad validam peccatorum a so u ¹

¹ Acta Apost. Seclis XXI, pag. 631.

donem requiritur in ministro potestas jurisdictionis, sive ordinaria sive delegata, in poenitentem.¹

Sedulo igitur instruendi sunt fideles de nullitate absolutionis datae a ministris *aglipayanis*, qui carent sacerdotali characterе ob defectum verae ordinationis; itemque de nullitate absolutionis, excepto mortis periculo, datae ab iis qui ante eorum schisma rite ordinati fuerunt, ob defectum ecclesiasticae jurisdictionis.

394—E mutua Ordinariorum localium conventionе, et nisi aliud constet ex expressa revocatione Ordinarii loci in quo jurisdictio est exercenda, facultas delegata audiendi confessiones in universis Insulis Philippinis conceditur singulis Episcopis residentialibus ceterisque Ordinariis territorium habentibus, perdurante eorum munere, necnon Episcopis titularibus in eisdem Insulis commorantibus. Exoptant Patres ut ipsorum Successores, initio eorum muneris, eamdem facultatem confirmant.

395 .—Ex eadem Ordinariorum localium mutua conventionе, et nisi aliud constet ex expressa revocatione Ordinarii loci in quo jurisdictio exercenda sit:

1.0 Omnes sacerdotes ab Ordinario proprio ad audiendas confessiones approbati atque perdurante hac approbatione, facultate delegata gaudent audiendi confessiones cujuslibet sacerdotis et omnium qui in domo paroeciali habitualiter commorantur, in universis Insulis Philippinis;

2.0 Sacerdotes curam animarum modo stabili exercentes in paroecia, quae cum alia diversae dioecesis paroecia immediate

¹ an. 871 et 872.

connectitur, ipso facto ac durante munere possunt delegata potestate confessiones audire in territorio illius vicinae paroeciae, dummodo ambae paroeciae in una eademque insula versentur. Expedit autem ut hac potestate non utantur, nisi legitime a sacerdotibus quorum intersit advocentur.

396. —Parochi valide et licite confessiones audire possunt quorumlibet in universa dioecesi ad quam eorum paroeciae pertinent. Nec hujusmodi delegatam facultatem amittunt, nisi amisso officio aut ex singulari Ordinarii proprii revocatione.

397. —Sacerdotibus junioribus, per integrum saltem triennium post absolutum studiorum curriculum, facultas sacramentum poenitentiae ministrandi ad annum dumtaxat detur, et quidem examine seu doctrinae periculo peracto.

398. —Studium theologiae moralis sacerdotes nunquam intermittant, libros de re ascetica et mystica legant, ut poenitentes, maxime pios, in via christianae perfectionis juvare possint; neque ad confessiones audiendas accedant, quin prius divinum auxilium imploraverint. Munera a poenitentibus confessarii generatim ne acceptent.

399. —Ad mentem Instructionis a Sancto Officio die 16 Maji 1943 editae, stricte prohibentur confessarii ne in confessione utantur pronomine *tu* cum mulieres alloquuntur, ne consilia poenitentibus dare audeant quae ad medicinam vel hygienem spectent, neve quaestiones misceant quae admirationem vel scandalum gignere possint.

Caveant etiam a nimia familiaritate cum feminis sibi confitentibus; mutuas visitationes atque commercium epistolare cum iisdem absque vera necessitate ne admittant; longas coi-

locutiones, sive in sacristiis sive in atriis seu locutoriis sive alibi, etiam sub praetextu spiritualis directionis, sedulo vitent.

400. —Quidquid sigillum sacramentale spectat diligentissime observandum est. Quare, ad normam Instructionis Sancti Officii diei 9 Junii 1915, caveant confessarii ne, etiam remoto periculo prodendi poenitentis, de auditis in confessione temere loquantur, sive in publicis concionibus sive in colloquiis privatis.

Si quando peritiores consulere habeant, id agant omissis illis omnibus circumstantiis quae ad rectam casus solutionem non pertineant, et aliunde periculum vel remotum continere possint poenitentis detegendi vel de eo suspicandi.

Caveant etiam, maxime cum missiones aut exercitia spiritualia tradunt, a narrandis iis exemplis, etiam tamquam ex libro aliquo excerptis, quorum narratio pias aures offendere et odium sacramenti gignere possit.

Art. 2. De rejervatione peccatorum.

401. —Ad mentem hodiernam Ecclesiae optandum est ut reservationes dioecesanae hucusque exstantes ab Episcopis, data opportunitate, supprimantur; neque alia peccata reserventur, nisi forte in aliquo casu specialissimo ob comprobatam necessitatem aut utilitatem, accurate servato canonis 895 praescripto.

Art. 3. De subjecto sacramenti poenitentiae.

402. —Hortandi sunt fideles ad frequentem confessionem rite faciendam; summoque studio excitandi, praesertim in praedicatione quae tempore Quadragesimae habetur, ut omnes praeceptum annuae confessionis adimpleant.

In memoriam parentum atque aliorum qui impuberum curam habent revocandum est, obligationem huic praecepto satisfaciendi incipere ab aetate discretionis, seu cum puer incipit ratiocinari aut aliqualem usum rationis habere, atque hanc obligationem in ipsos quoque ac praecipue recidere.

403 .—Curent parochi ac rectores ecclesiarum ut nunquam desint sacerdotes rite probati, qui in sede confessionali assideant opportunis horis, sive matutinis sive vespertinis. Opportunitatem instituendi confessionem pariter praebeant fidelibus, qui in locis ruralibus ab ecclesia paroeciali remotioribus degunt.

Libertas eligendi confessarium fidelibus semper sit in tuto posita; nec confessarii aegre ferant ut sui poenitentes alium adeant, immo eis suadeant ut interdum id agant.

Occasione magnarum festivitatum, confessarii extraordinarii tempestive invitandi sunt.

Art. 4. De loco, tempore et modo confessionis audiendae.

404 .—Confessiones virorum etiam in aedibus, et a fortiori in oratoriis privatis, excipere licet; atque in his casibus satis est adhibere sedile cum genuflexorio.

Quoties autem in ecclesiis vel publicis aut semi-publicis oratoriis confessionem instituere velint, suaviter inducendi sunt viri ad eandem more feminarum perficiendam, non scilicet a fronte, sed ad crates laterales sedis confessionalis.

405 •.—In audiendis feminarum confessionibus, praeter ca quae in canonibus 909 et 910 praescribuntur, sacerdotes diligenter observent normas sequentes: ¹

¹ Pont. Comm. ad Cod. Can. auth. interpr., 24 Nov. 1920.

1.0 Sedeant sacerdotes pro confessionibus audiendis in loco decenti ac pervio Ecclesiae et non in sacristia, ita ut ab aliis personis facile conspici queant.

2.0 In locis in quibus non habeatur sedes confessionalis, ministerium suum exercent velo interposito vel crate solida adhibita inter confessarium et poenitentem.

3.0 Quoties mulieres audiendae sunt domi aut in oratoriis privatis, ex causa infirmitatis aliave verae necessitatis, toties cubiculi janua aperta remaneat, ita tamen ut nullo pacto a transeuntibus audiantur ea quae a confitente vel confessario dicuntur.

4.0 Nulli mulieri confessionem instituere permittant, nisi vestibus modestis induta atque capite velata accedat.

406. —Confessiones audiri possunt singulis diebus et qualibet diei hora. Consuetudo alicubi vigens de non audiendis confessionibus feria VI in Parasceve est omnino reprobanda.

Confessarii, quoties mulierum confessiones audire debeant ante auroram aut post crepusculum vespertinum, pro viribus curent ut templum aut sacellum semper sit convenienter illuminatum.

407. —Retinendus est usus audiendi publice aut privarim confessiones absque superpelliceo, adhibita sola stola violacei coloris.

Art. 5. De indulgentiis.

408 .—Doctrinam de indulgentiis populo frequenter exponant parochi et concionatores, earum praestantiam et utilitatem exaltantes, ut ab omnibus illae magni fiant.

Edoceantur fideles de copiosis indulgentiis quae quibusdam piis exercitiis ut Viae Crucis, rosarii B. Mariae Virginis recitationi; aut rebus quibusdam benedictis ut coronis, scapularibus; aut tandem aliquibus piis operibus, ut doctrinae christianae traditioni, familiarum consecrationi Sacratissimo Cordi Jesu, sunt adnexae, et ad eas acquirendas excitentur.

Quae statis diebus lucrari possunt, opportuno antea tempore populo nuntientur.

409. —Fidelibus notae fiant praesertim indulgentiae, quarum acquisitio cuivis christiane viventi atque ordinarias preces recitanti praesto ac facillima est. Commendentur etiam invocationes jaculatoriae, quae ad continuam cum Deo conjunctionem et ad indulgentias lucrandas plurimum conferunt.

410. —Notentur novae declarationes quae circa indulgentiarum acquisitionem a Sancta Sede decursu temporis prodeant, atque data opportunitate fidelibus piis exponantur saltem eae quae ad populi devotionem fovendam aptiores sint, ut sequentes:

1.0 Indulgentiae, invocationibus et precibus sic dictis jaculatoriis adnexae, acquiri possunt, ceteris paribus, a fidelibus quibuslibet etiam per mentalem tantum earum recitationem.¹

2.0 Ad indulgentias plenarias quaslibet *toties quoties* lucrandas, pro quibus alicujus ecclesiae visitatio est injuncta, oportet et sufficit saltem sex Pater, Ave et Gloria in singulis visitationibus recitare.”^{1 2}

¹ S. Poenit. Apost., 7 Dec.

² S. Poenit. Apost., 5 Jul. 1930.

3-0 Ad alias indulgentias lucrandas, si *in genere* precatio ad mentem Summi Pontificis requiratur, satis est recitare unum Pater, Ave et Gloria, relicta tamen singulis fidelibus libertate quamlibet aliam orationem recitandi, juxta uniuscujusque pietatem aut devotionem erga Romanum Pontificem.

4.0 Indulgentiae precibus adnexae non cessant ob mere accidentalem additionem, detractionem vel interpolationem, sed ob eas tantum quae earumdem substantiam alterant.”

411 .—Ex facultatibus a Sede Apostolica concessis et nunc vigentibus christifideles in Philippinis, si loca inhabitent ubi prorsus impossibile vel saltem admodum sit difficile ad confessarium accedere, lucrari possunt indulgentias ac Jubilaeva, quae confessionem, communionem et jejunium requirunt, dummodo, servato jejunio, sint corde saltem contriti, addito firmo proposito admissa confitendi quamprimum poterunt.

Caput VII.

De extrema unctione.

412,—Exponantur populo extremae unctionis dignitas, uberrimi fructus et requisita ad eam fructuose suscipiendam, ut fideles non cunctentur sacramentum et pro se petere et aliis procurare tempestive, id est, cum in periculo mortis versentur, licet mors ipsa nondum immineat.

413 .—Serio meditentur sacerdotes haec verba Ritualis Romani tit. V, cap. 1, num. 1: “Extremae unctionis sacramentum omni studio ac diligentia periculose aegrotantibus ad-^{1 2 3}

¹ S. Poenit. Apost., 20 Sept. 1933.

² S. Poenit. Apost., 26 Nov. 1934

³ S. C. Consist., 26 Mart. 1949.

Hibendum est, et eo quidem tempore, si fieri possit, cum illis adhuc integra mens et ratio viget, ut ad uberiores sacramenti gratiam percipiendam, ipsi etiam suam fidem ac piam animi voluntatem conferre possint, dum sacro liniuntur Oleo”.

414 .—Peculiari studio inculcanda est medicis gravissima obligatio qua tenentur infirmis vel eorum familiaribus periculum mortis declarare, ut ultima sacramenta recipiant plene sui compotes. “Gravissime enim peccant, ait Catechismus Romanus, qui illud tempus aegroti unguendi observare solent, cum jam, omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipit”.

415 .■—Circa modum hoc sacramentum infirmis ministrandi haec in praxi servanda statuimus:

1.0 Statim ac nuntium receperit de gravi mortis periculo alicujus e suis parochianis, debet parochus, per se vel per alium sacerdotem, ad aegrotum unguendum pergere, licet in humillimis locis aut tuguriis versetur.

2.0 Nullo autem jure exigere potest parochus ut currus ipsi commodetur ad infirmum in propria domo invisendum, vel ut impensae itineris eadem occasione peragendi ab aegroti familia solvantur. Propriis enim sumptibus tenetur ipse, ex officii sui munere, ad parochianum decumbentem accedere; nisi in aliquo casu, ex ultronea offerentium voluntate, raeda adhibenda praebeatur vel eleemosyna ad eundem finem liberaliter suppeditetur.

416. —Pueris, etiamsi nondum habeant plenum usum rationis neque admissi fuerint ad primam communionem, praebeatur non solum poenitentiae, sed et extremae unctionis sacramentum, non obstante contraria consuetudine quae ut de-

testabilis abusus merito damnatur a Sancto Pio X in decreto *Quam singulari*, 8 Augusti 1910.

Neophytis moribundis, quos missionarius capaces baptismi censuit, conferendus est baptismus, non autem extrema unctio, nisi saltem habeant aliquam intentionem eam recipiendi in beneficium animae pro mortis tempore ordinatam.

Caput VIII.

De Ordine. *

417. —Ii ad quos spectat satagant ut ad sacros ordines contententes omnibus a jure requisitis sint instructi, neque ullus accedat qui divinae vocationis signa indubia non dederit, qualis a Pio XI in Encycl. *Ad catholici sacerdotii*, 20 Dec. 1935, et a Pio XII in Exhort. *Menti nostrae*, 23 Sept. 1950, describitur.

418. —Diligentissime serventur Instructiones a S. Congr. de Sacramentis 27 Dec. 1930 atque a S. Congr. de Religiosis 1 Dec. 1931 datae, super scrutinio candidatorum peragendo antequam ad ordines promoveantur; et de earum observantia mentio fiat, tam in litteris dimissoriis concedendis, quam in testimonialibus pro ordinandis.

Qua in re omnibus, quibus sive ratione officii, sive ex Ordinarii commissione, munus incumbit transmittendi ad Curiam episcopalem informationes de vita et moribus ordinandorum horumque parentum, vehementer in Domino commendamus ut, omni humano respectu posthabito, Ordinarium certiore faciant de universis ad hoc tam grave negotium pertinentibus. ¹

¹ S.C.S. Offic., 10 Apr. 1861 (Cod. J. C. Fontes, IV, pag. 765)

419 .—Ex consuetudine plus quam centenaria apud nos vigente, clerici saeculares titulo *servitii Ecclesiae* ad sacros ordines legitime promoventur. Haec autem adnotanda habemus:

1.0 Hic titulus non est mere suppletorius, sed ordinarius et fere ab omnibus usitatus, quamvis de se non excludat alios titulos a jure canonico admissos.

2.0 Ordinarius presbytero, quem promoverit titulo *servitii Ecclesiae*, debet beneficium vel officium vel subsidium, ad congruam ejusdem sustentationem sufficiens, conferre.

3-0 Sic vero ordinatus perpetuo adstringitur servitio dioecesis, sub Ordinarii loci pro tempore auctoritate, et debet hanc suam obligationem juramento firmare.¹

4.0 Cum consuetudo memorata, ad instantiam Patrum Concilii Manilani I, sancita a Sancto Pio X fuerit die 11 Februarii 1910 absque ulla limitatione temporis, in suo robore procul dubio manet etiam post Codicis juris canonici promulgationem.

420.—Juxta responsionem a S. Congregatione de Sacramentis die 2 Maji 1928 datam:

1.0 Si qui intra semestre, vel etiam spatio unius mensis, ad plures ordines majores promovendi sint, Ordinarius poterit exercitiorum spiritualium tempus pro ordinatione ad diaconatum reducere, non tamen infra tres integros dies.

2.0 Si vero sacri ordines, gravi interveniente causa ac servatis servandis, praesertim cc. 975'97^ distinctis et subse- cjuentibus vel proximis diebus alicui conferantur, ita ut tempus non suppetat servandi praescriptum can. 1001 § 1, praemissis semper sacro ordini, qui primus erit conferendus, spiritualibus ¹

¹ Cfr. can. 981, § 1.

exercitiis saltem per sex integros dies, ceteris ordinibus si fieri poterit, iudicio Episcopi ad normam can. 1001 § 2, una saltem dies spiritualis recessus praemittatur.

421.—Ordinationes in sacris celebrentur intra Missarum sollemnia sabbatis Quatuor Temporum, sabbato ante dominicam Passionis, et Sabbato Sancto.

Gravi tamen causa interveniente, Episcopus potest eas habere etiam quolibet die dominico aut festo de praecepto; non autem in festis per Codicem in univetsa Ecclesia suppressis.¹

422 .—Ordinationes omnes, quibus pseudo-episcopi *agli-payani* tum sacerdotalem tum episcopalem gradum conferre attentarunt, nullas, frustraneas ac prorsus sacrilegas esse edicimus ac declaramus cum Cone. Manii. I num. 686, quippe quae absque episcopali caractere in ministrantibus sint collatae; ceteros vero ordines, etiam quibus conferendis simplici sacerdoti a Summo Pontifice fieri potest facultas, hujusmodi apostolicae commissionis defectu, eadem nullitatis, frustraneitatis ac sacrilegii nota infectos pariter renuntiamus ac publicamus.

423.—Reprobata praxi alicubi vigente, neo-presbyteros indumentis sacerdotalibus ornatos ac florum corona circumdatos processionaliter associandi ad Missam sollemnem, post plures Missas privatas forte jam dictas, celebrandam, Concilium exoptat ut nomen ac praerogativae primae Missae reserventur sacrificio ab ipsis prima vice post suam ordinationem sacerdotalem litando, eosque vehementer hortatur ut

¹ Pont. Comm. ad Cod. Can. auth. interpr., 15 Maji 1936.

a nimia pompa et sumptibus extraordinariis, necnon a conviviis profanis tali occasione instituendis, prorsus absterneant.

Toleratur tamen usus adhibendi presbyterum assistentem cum pluviali, in prima Missa novi sacerdotis eam sollemniter celebrantis.¹

Sustineri pariter potest consuetudo adhibendi sic dictos *patrinos*, ad aquam et linteamen neo-sacerdotibus in prima Missa praebendum, dummodo feminae penitus excludantur, ac non nisi uni aut ad summum duobus viris piis tale munus committatur.

424 .—In signum grati ac devoti animi ob gratias cuique nostrum gratis datas per manuum impositionem, obque alia beneficia divinam nostram vocationem comitantia, enixe omnes et singulos sacerdotes hortamur ut quotannis, in anniversario propriae ordinationis sacerdotalis a die fixa mensis computando, libenter addant in Missa orationem *pro seipso Sacerdote* servatis propriis rubricis.

Caput IX.

De Matrimonio.

Art. i. De nonnullis erroribus praecavendis.

425 .—Ut erroribus et abominationibus hac nostra tempestate etiam inter fideles late grassantibus occurramus, parochos, concionatores et confessarios, ipsosque scriptores catholicos graviter admonemus ut populum christianum, cum omni diligentia et ea, qua par est, prudentia et circumspectione, erudiant circa matrimonii divinam originem, dignitatem sacramentalem, finem primum atque indissolubilitatem; omnia*

¹ S. C. Rit., 11 Jun. 1880, dubio VII.

que media adhibeant, quae ad matrimonii defensionem adversus acerrimas hostium impugnationes conferre valeant. Consequenter declarent leges civiles vinculum matrimonii fidelium respicientes irritas esse et contra jura Ecclesiae attentantes.

426.—Caveant utriusque sexus adolescentes a mutuis eorum relationibus ad nuptias parandas plus aequo protrahendis, aut praemature inchoandis, praesertim tempore studiorum, multoque magis caveant a cohabitatione quovis praetextu indulgenda priusquam matrimonium canonicè celebretur; peccata enim avertunt a familia divinos favores.

427 .—Cautè sed fortiter agant confessarii et parochi ut extirpentur turpissima illa peccata et horrenda crimina antea ignota, nunc autem inter conjuges grassantia, ad prolis generationem devitandam; atque in eorum memoriam revocent “quemlibet matrimonii usum, in quo exercendo actus, de industria hominum, naturali sua vitae procreandae vi destituatur, Dei et naturae legem infringere, et eos qui tale quid commiserint gravis noxae labe commaculati”.¹

428 •—Licet conjuges continentiam periodicam exercentes inquietandi non sint, juxta responsum a S. Paenitentiaria datum die 16 Junii 1880, caveant tamen confessarii ab illa praxi indiscriminatim insinuanda.

429 •—Cum non pauci scriptores, hisce ultimis temporibus de vita conjugali agentes, passim palam et minute ad singula eam spectantia inverecunde descendant, ac praeterea nonnulli actum quemdam, *amplexum reservatum* nuncupatum, describant, laudent et suadeant; eosdem omnes graviter in

¹ Pius XI, Litt. Encycl. *Casti connubii*, 31 Dec. 1930.

Domino cum S. Congr. Sti. Officii 30 Junii 1952 monemus ut ab hujusmodi agendi ratione desistant.

Sacerdotes autem, in cura animarum et in conscientiis dirigendis, nunquam, sive sponte sive interrogati, ita loqui praesumant quasi ex parte legis christianae contra *amplexum reservatum* nihil esset objiciendum.

430.—Noverint insuper conjugati, tam viri quam uxores, quod violantes bonum fidei gravissimum peccatum adulterii committunt et poenas Ecclesiae obire possunt, ad normam can.

²³⁵⁷> § 2.

431.—Summopere reprobandus est effrenatus coelibatus e quo maxima animarum pernicietas et reipublicae detrimentum derivatur.

432.—Ad normam decreti S. Congregationis Sancti Officii, 1 Aprilis 1944, Concilium reprobatur sententiam nuper a quibusdam recentioribus inventam, “qui vel negant finem primum matrimonii esse prolis generationem et educationem, vel docent fines secundarios fini primario non esse essentialiter subordinatos, sed esse aequae principales et independentes”.

433.—Firmis legitimis regionis consuetudinibus, certo tectoque jure et officio parentum filios dirigendi in re tanti momenti, omnem curam adhibeant parochi ac missionarii ut in fidelibus efformetur conceptus christianus libertatis nupturientium, et fideles deterreant ab abusu quo filii et praesertim filiae, pro solo commodo familiarum et contra propriam voluntatem, in matrimonium traduntur aut ab eodem avertuntur.

434.—Sedulo invigilent animarum curatores, ne inter suos fideles quaelibet conjunctio praeter matrimonium canonicum contrahatur, docentes: “Quaelibet aliam inter christianos

viri et mulieris, praeter sacramentum, conjunctionem, cujuscumque etiam legis civilis vi factam, nihil aliud esse nisi turpem et exitialem concubinatum ab Ecclesia tantopere damnatum”.

Coercere item conentur abusum in dies invalescentem contrahendi matrimonium quod vocant civile, ne spes futuri matrimonii catholici frustretur; atque in pignus celebrationis hujus veri conjugii, fidelibus data occasione inculcent ut sponsalia valida ad normam canonis 1017 ineant.

Art. 2. De praevis investigationibus et bannis.

435 .—Ante publicas matrimonii denuntiationes, perscrutetur parochus sponsorum in doctrina christiana instructionem.

Si eos ignaros inveniatur, “dum ea peragit, quae Codex peragenda praescribit, ignorantes edoceat saltem prima doctrinae christianae elementa; quodsi renuant, non est locus eos respuendi a matrimonio ad normam canonis 1066”.

436 .—Etsi nupturientes afferant documenta a jure civili requisita, ad matrimonium contrahendum parochus documenta ac testimonia exigat a jure canonico praescripta, atque opportunas investigationes peragat ad normam Instructionis S. Congregationis de Sacramentis die 29 Junii 1941 editae.

Quare parochus, memor gravis suae obligationis, diligenter munus suum exsequatur, ipsos sponsores seorsum et caute interroget, inquisitiones praescriptas nunquam omittat, quamvis in aliquo casu moraliter certus sit nihil obstare validae et licitae matrimonii celebrationi. ¹

¹ Pius IX, Alloc. diei 27 Sept. 1853.

² Pont. Comm. ad Cod. Can. auth. interpr., 2-3 Junii
1918

Ut uniformitas in hac summi momenti disciplina habeatur, Concilium enixe commendat ut locorum Ordinarii, quorum est normas dare pro hujusmodi sponsorum investigatione, omnes eundem elenchum quaestionum, prout in Appendice reperitur, imponant parochis adhibendum pro omnibus matrimoniis inter fideles sive ejusdem dioecesis, sive diversarum dioecesium.

437 .—Si sponsi commorantur in diversis paroeciis ejusdem dioecesis, parochus, cui jus est adsistendi matrimonio ad normam can. 1020, § 1, investigationes peragat ac publicationes faciendas curet sive in propria, sive in alterius paroecia.

Documenta omnia, matrimonium contrahendum respicientia, quamprimum mittantur ad parochum qui matrimonio assistere debet.

438 .—Curiam dioecesanam adibit parochus quoties alteruter saltem e contrahentibus sit alienae dioecesis, aut post adeptam pubertatem in aliena dioecesi per sex saltem menses •continuos commorationem habuerit.

Si autem sponsus aut sponsa extra paroeciam, non vero extra dioecesim, per dictos sex menses fuerint commorati, tunc parochus ipse acta de statu libero, servatis servandis, conficiat.

Toties praeterea Ordinarius loci adeundus erit, quoties aliqua adsit suspicio de contracto impedimento.

439 .—Cautius est procedendum quoad probationem status liberi vagorum, eorum nempe qui nullibi domicilium vel quasi-domicilium habent,” et eorum qui e loco originis in longinquas regiones demigrarunt post adeptam pubertatem, et ibi matrimonium contrahere cupiunt. ^{1 2}

¹ Can. 1020

² Can. 91.

Propterea, inconsulto Ordinario loci, non licet parochis vagorum aut emigrantium matrimoniis interesse nec attestaciones de libero eorum statu conficere, excepto casu necessitatis seu potissimum periculo mortis, ad normam Instructionis die 4 Julii 1921 a S. Congr. de Sacramentis datae.

Cumque in his casibus difficulter absit dubium de existentia impedimenti, probe sciant parochi haud sibi licere memoratis adstare matrimoniis, ne praetextu quidem et intentione avertendi fideles a turpi concubinato, aut praecavendi scandalum conjugii, quod vocant, civilis, nisi constituto sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de jure servandis.

440. —Q uo securius sive testimonium de statu libero a paracho nupturientium habeatur, sive denuntiatio de secuto matrimonio ad parochum baptismi perveniat, parochi haec documenta aliaque matrimonium respicientia petant vel transmittant per cancellariam Ordinarii loci, quoties de paracho alienae dioecesis agatur.

441 .—Si pars post adeptam pubertatem plusquam per sex menses commorata fuerit in longissimis et dissitis oris, a quibus ut habeatur regularis attestatio libertatis status longius tempus requiritur, cum tamen urgeat celebratio matrimonii; Ordinarius loci, pro suo prudenti iudicio, potest acquiescere juramento partis, cum testimonio duorum vel, si non possint haberi duo, saltem unius, qui secum commorati fuerint illis in regionibus.¹

Ordinarii autem et sacerdotes ne facile, ceteris neglectis probationis argumentis, procedant ad jusjurandum suppletorium partibus deferendum.

¹ Pont. Comm. ad Cod. Can. auth. interpr., 2-3 Junii 1918.

442 .—Si per legitima documenta comprobari nequeat obitus alterius conjugis, ad suppletorias probationes procedatur in Curia dioecesana, juxta Instructionem Sancti Officii *Matrimonii vinculo* diei 13 Maji 1868, formam ibidem praescriptam servando.

443 .—Matrimoniorum publicationes laicis ordinarie ne committantur, sed ab ipso parrocho aut ab aliquo saltem sacerdote, nomine parochi, legantur inter Missarum sollemnia, aut inter alia divina officia ad quae populus frequens accedat, et quidem tribus continuis diebus dominicis aliisque festis de praecepto.

Ordinario autem loci fas est, easdem in aliis quoque Missis dierum festorum peragendas praescribere, aut eisdem substituere publicam ad valvas ecclesiae affixionem nominum contrahentium ad normam can. 1025.

444 .—A publicationibus ne dispensetur nisi ex rationabili causa, remota quavis consideratione de taxa a parrocho vel a Curia dioecesana percipienda.

Art. 3. De impedimentis matrimonii.

445 .—Ex jure canonico¹ vir ante decimum sextum aetatis annum completum, mulier ante decimum quartum item completum, matrimonium validum inire non possunt.

Curent parochi ac missionarii a matrimonio avertere viros ante circiter vigesimum aetatis annum, mulieres ante circiter decimum octavum; cum ante hanc aetatem, juxta mores apud nos receptos, nuptiae iniri non soleant." ^{1 2}

¹ Can. 1067.—Analogia dispositio habetur in Codice civili, art. 54.

² Ex juris civilis dispositione, vir ante vigesimum aetatis annum completum, mulier ante decimum octavum expletum, nubere prohibentur absque suorum parentum aut tutorum consensu. (Cfr. Cod. civ. art. 61).

In matrimoniis praeterea minorum, sedulo invigilent sacerdotes circa liberum consensum utriusque partis ac praesertim sponsae.

Ordinarii autem locorum, raro ac nonnisi proportionata interveniente causa, utantur facultate dispensandi super impedimento aetatis.

446. —Infideles sive sinenses sive alii matrimonium contrahere cupientes cum catholicis, non sunt ullo modo baptizandi ob solum motivum matrimonii ineundi, nisi aliunde dispositi inveniantur ad normam praescripti decr. 292-294; sed, praemissa monitione de unitate ac indissolubilitate veri matrimonii, factaque speciali inquisitione de eorum statu libero, suaviter sunt inducendi ad mixtas nuptias celebrandas cum dispensatione impedimenti.

447. —Ecclesia super impedimento mixtae religionis aut disparitatis cultus non dispensat, nisi justae ac graves causae urgeant, cautiones a nupturientibus id est ab utraque parte antea praestentur, et de ipsarum implemento moralis certitudo habeatur.

Etsi Sancta Sedes e praxi immemorabili exegerit, et nunc stricte exigat, ut cautiones per formalem promissionem ab utraque parte *explicite* praestentur; tamen usus facultatis dispensandi, sive ordinariae sive delegatae, invalidus dici nequit si utraque pars saltem *implicite* cautiones praestiterit, id est, eos actus posuerit e quibus concludendum sit et in foro externo constare possit, utramque cognoscere obligationem adimplendi condiciones et manifestasse firmum propositum illi obligationi satisfaciendi.¹

¹ S. C. S. Off., 10 Maji 1941.

448. —Ad normam can. 1061:

1.0 Conjux acatholicus cautionem praestet de amovendo a conjuge catholico perversionis periculo;

2.0 Uterque conjux cautionem praestet de universa utriusque sexus prole catholice tantum baptizanda et educanda;

3.0 Insuper conjux acatholicus serio promittat se partem catholicam in libero exercitio religionis catholicae numquam impediturum.

4.0 Cautiones regulariter in scriptis exigantur, et ad normam Concilii Manilani I, num. 7^o4> “Am parrocho, duobus testibus adstantibus.

449. —Parochi atque alii animarum curatores, qui dispensationem super impedimento mixtae religionis aut d. spar,- tatis cultus in favorem suorum paroecianorum petierint.

1.0 Certiores reddant nupturientes de sanctitate jurandi a se in cautionibus praestandi, necnon de poenis ab ipsis incurrendis si forte perjurent.

2.0 Contrahentes praetere, moneant * g™ « “ juri, divini curandi catholicam educationem «t.am proli, matrimonii celebrationem forte jam natae. . :u_

3.0 Mi», nuptiis celebra», sed»l.

g«, promissione, lacta, fideliter impleant, ac nominatim eorum filii in catholica schola instituantur.

450. —Peculiari modo arceantur atque absterreantur fideles a nuptiis contrahendis cum m umet faculta

s

Cum autem, . * p.ad m Curta «““* ^ dispensandi in hac re non

³ Can. 2323.

² S. C. S. Off., 16 Jan. 1942.

pensandi ab impedimento disparitatis cultus, sedulo caveant Ordinarii ne nuptias fidelium cum parte mahumetana unquam permittant absque speciali facultate a Sancta Sede concessa.

Qua obtenta, non sufficit ut graves causae urgeant atque consuetae cautiones praestentur, sed praeterea requiritur ad dispensationem concedendam ut nullum adsit periculum polygamiae aut circumcisionis prolis, nullaue Mahumetis invocatio aliudve superstitionis genus interveniat.

451. —Quoad matrimonia catholicorum cum communistis, haec sunt in praxi servanda:

1.0 Si sermo est de iis qui notorie partibus communistarum nomen dederunt vel eisdem favorem praestiterunt, parochus eorum matrimonio ne assistat nisi consulto Ordinario et gravi urgente causa, ad normam cann. 1065, 1066;

2.0 In matrimoniis eorum qui communistarum doctrinam materialisticam et antichristianam profitentur, et maxime eorum qui eam defendunt vel propagant, servanda sunt praescripta canonum 1061, 1102, 1109, § 3;

3.0 Iis tandem qui ad societatem pertinent cujus finis proprius est Deum omnemque religionem negare, utpote sectae atheisticae atque acatholicae adscriptis, normae decretis 447-449 indicatae sunt applicandae.¹

452 .—Vi privilegii, pluries a Sancta Sede ad tempus concessi, atque a Pio XI die 18 Julii 1932 denuo renovati absque temporis limitatione, “philippini aliique asiatici, dummodo europaeum sanguinem non habeant atque in Insulis Philippinis commorentur, possunt in tertio consanguinitatis gradu lineae collateralis matrimonium contrahere”.

¹S. C. S. Off., 11 Aug. 1949; Pont. Comm. ad Cod. Can. auth. interpr., 30 Jul. 1934.

Eodem privilegio fruuntur africani atque oceanici, europaeum sanguinem non habentes, itemque mixti seu *mestitii* qui absolutam medietatem sanguinis europaei habent, dummodo pariter in his regionibus commorentur.

Nulla modo includuntur in hoc privilegio, sed juri communi canonis 1076 § 2 subjiciuntur, sic dicti *quarterones* qui quartam solummodo partem sanguinis philippini aut asiatici habent; a fortiori autem europaei, australiani alique europae- um sanguinem habentes, licet in his Insulis degant aut nati fuerint.¹

453. —Praesupposita vera adoptione legali ex facultate judicis facta ad normam Codicis civilis lib. I, tit. XI, cap.5, cognatio legalis in Philippinis dirimit matrimonium:

1.0 Inter patrem aut matrem adoptantem et adoptatum;

2.0 Inter adoptatum et conjugem superstitem adoptantis, et inter patrem et matrem adoptantem et conjugem superstitem adoptati;

3.0 Inter filios legitimos adoptantis et adoptatum.

Cum vi Codicis civilis libr. I, tit. III, cap. 3, (art. 82), hi omnes inhabiles ad nuptias inter se ineundas habeantur ob cognationem legalem ex adoptione ortam, probe sciant parochi eosdem vi juris canonici matrimonium inter se valide contrahere non posse.²

454. —Si quando contrahentes, ex jure canonico habiles ad contrahendum, vi juris civilis a matrimonio ineundo impediuntur, parochus rem ad loci Ordinarium deferat, omnes casus circumstantias eidem fideliter exponat; ejusque decisioni acquiescat.

¹ S. C. Neg. Eccles. Extraord., 24 Maji 1898; 15 Sept. 1908.
“Can. 1080.

Solus vero Episcopus, excluso Vicario Generali sine mandato speciali, permittere in similibus adjunctis potest ut, stante gravissima et urgentissima causa, matrimonium conscientiae ineatur.

Quo in casu, matrimonium celebratum non est in consuetis matrimoniorum ac baptizatorum registis adnotandum, sed in peculiari tantum libro apud Curiae archivum secretum servando.

Art. 4. De celebratione matrimonii.

455. —Sedulo instruantur fideles, tum ut magni faciant matrimonii christiani celebrationem, tum ut perspectum habeant matrimonium in ecclesia celebratum omnes effectus civiles sortiri ac validum ab ipsa lege civili agnosci, tum denique ut omnes catholici persuasum habeant se, in ordinariis rerum adjunctis, nullo modo actum civilem celebrare debere.

456. —Ad normam can. 1095 § 1 et subsequendum declarationum, valide matrimonio assistunt intra fines sui territorii:

1.0 Parochus a die tantummodo adeptae canonicae possessionis paroeciae, ad normam decreti 147.

2.0 Vicarius oeconomus legitime constitutus in paroecia vacante, ad normam can. 472, a momento initi officii.

3.0 Vicarius substitutus, de quo in can. 465 § 4, post Ordinarii loci approbationem, non autem ante eandem; et si sit vicarius substitutus parochi religiosi, idem potest post approbationem Ordinarii loci, etiam ante approbationem Superioris religiosi.¹

¹ Pont. Comm. ad Cod. Can. auth. interpr., 20 Maji 1923, ad II.

4*o Sacerdos supplens, de quo in can. 465 § 5> *Yem* potest ante approbationem Ordinarii loci, quoadusque idem Ordinarius aliter non statuerit.¹

5.0 In parochi absentia brevioris seu quae hebdomadam non excedat, sacerdos ab ipso relictus vel proximior parochus ab eodem praemonitus ad normam decr. 159, eget expressa delegatione ad matrimonium determinatum data, ut valide assistat intra fines territorii sibi commissi.

457. —Ad praecavenda dubia quae de valore matrimonii haberi possunt ob defectum formae canonicae, Concilium enixe omnibus locorum Ordinariis commendat ut, in nominandis aut approbandis vicariis cooperantibus, delegationem generalem simul eisdem concedant, ad normam can. 1096 § 1, ad assistendum matrimoniis intra limites parociae ad quam destinantur.

Vicarii autem cooperatores, qui a loci Ordinario vel a paroco generalem obtineant delegationem assistendi matrimonii, alium determinatum sacerdotem subdelegare possunt ad assistendum matrimonio determinato.

458.—Serio moneantur fideles, matrimonia coram schismaticis pseudo-episcopis vel ministris *aglipayanis* ceterisque acatholicis celebrata, nulla ipso jure esse, eosque, qui coram praedictis schismaticis aut haereticis matrimonio jungi attentant, sacrilege prorsus agere.^{1 2 3}

¹ Pont. Comm. ad Cod. Can. auth. inte.pt., 20 Maj. 1923 ad •

² Pont. Comm. ad Cod. Can. auth. interpr., 28 Dec. *IVI*/.

³ Catholicis qui matrimonium ineunt coram m.mstro a c a t h o b 2 J 1 9
excommunicationi latae sententiae Ordinario reservatae, jux Motu
§ 1 n. 1; neoue ullo pacto licet de hac re dub.tare
Proprio diei 25 Decembris 1953. (Cfr. Acta Apost. Sed.s, XXXXVI,
pag. 88).

Itemque moneantur fideles, irrita esse matrimonia coram iudice civili attentata.

459 .—Prudenter edoceantur fideles in locis dissitis degentes de forma extraordinaria matrimonii coram solis testibus, de qua in can. 1098, praesertim in periculo mortis, quando parochus vel Ordinarius vel sacerdos delegatus haberi vel adiri nequit absque gravi incommodo.

Notandum autem est, quod Ordinarius vel parochus physice quoque absens censetur, quando “licet materialiter praesens in loco, ob grave tamen incommodum (v. gr. ob leges civiles id sub gravi poena prohibentes) celebrationi matrimonii assistere nequeat, requirens et excipiens contrahentium con- » ¹ sensum .

460 .—Salva validitate matrimonii contracti servatis conditionibus in can. 1098 expressis:

1.0 Fideles ne utantur hac forma extraordinaria nisi periculum sit in mora, ita ut non possint exspectare praesentiam sacerdotis competentis.

2.0 Antequam contrahant, debent monere propinquiorem sacerdotem aut missionarium per litteras aliudve medium opportunum de necessitate statim contrahendi in qua versantur, etsi forte praevideatur has litteras tempestive ad eum perventuras non esse; et debent exspectare responsionem, quamdiu periculum non est in mora.

3.0 Assumant testes e personis praevis a parochis vel missionario designatis, si habeantur.

4.0 Post celebrationem matrimonii, statim proprio parochis mittatur, ad mentem can. 1103 § 3, testimonium contracti matrimonii a conjugibus et testibus subsignatum.

¹ Pont. Comm. ad Cod. Can. auth. interpr., 25 Jul. 1931.

461 •—Testes in celebratione matrimonii adhibendi, vi juris canonici possunt esse quilibet usu rationis pollentes.

Nulla in eis specialis qualitas requiritur, ac valide adhibentur dummodo naturaliter habiles sint ad fidem matrimonii contracti faciendam; sed, absque justa causa excusante, nequeunt licite admitti ad tale munus gerendum acatholici, excommunicati, infames ac tandem ii de quibus in decr. 451, 2.0

462. —Quoties ad normam can. 1097 § 1 n. 3 requiratur parochi proprii licentia, haec in scriptis semper detur.

Parochus autem matrimonio ne assistat, antequam omnia documenta jure canonico” necessaria atque in propriae parociae archivio asservanda, receperit; et praeterea, nisi rationabilis causa aliud postulet, tres dies decurrerint ab ultima publicatione.

Sponsos, ad normam can. 1033, vehementer adhortetur ut ante matrimonii celebrationem sua peccata diligenter confiteantur, et sanctissimam Eucharistiam pie recipiant; recusantes autem, aut quoquo modo hujusmodi suasionem aegre ferentes, nullo pacto a matrimonio contrahendo repellat.

463. —Omni studio curandum est ut matrimonia mane, non vespere, contrahantur; nisi justa et rationabilis causa, judicio parochi aut missionarii aestimanda, aliud in casibus particularibus suadeat.

Concilium praeterea urget observantiam canonis 1x03 § 2; ac, reprobata quavis contraria consuetudine aut praxi, om-¹

¹ Vi autem juris civilis debent esse aetate majores, seu vicesimum primum aetatis annum expletum habere (Cfr. Cod. civ. art. 55 et) •

² Parochus praeterea a nupturientibus exigat licentiam matrimonialem aliaque documenta a jure civili requisita, eaque omnia diligenter asservet.

nibus ad quos spectat mandat ut in libro quoque baptizatorum anotent matrimonia celebrata, idque intra triduum ab inito conjugio, aut ab accepta ejusdem notitia, faciant diligenter.

Art. De ritu celebrationis matrimonii.

464.—Matrimonia inter catholicos celebrentur servato ritu ex *Manuali Toletano* desumpto, longo saeculorum decursu in his regionibus usitato, atque aptissimis caeremoniis ad significandam indissolubilem sponsorum unionem referto. Patres tamen Concilii tria in hac re vehementer exoptant:

1.0Admonitio fieri solita antequam parochus requirat et excipiat contrahentium consensum, ita mutanda est ut, omissis iis quae ruborem afferre possunt ac suppressis interrogationibus publicis de existentia impedimentorum, breviori modo redigatur ad excellentiam et dignitatem sacramenti matrimonii in memoriam sponsorum' omniumque adstantium revocandam.

2.0Hujus admonitionis sic reformatae, accuratae fiant versiones in diversas linguas vernaculas apud nos usitatas, in futuris editionibus nostri *Manualis parochorum* tempestive inserendae.

3.0Sedulo moneantur fideles, benedictionem arrharum et annulorum atque impositionem velaminis nuptialis, nullo modo ad essentiam aut valorem matrimonii pertinere.

465.—Parochus curet ut catholici nupturientes, ritu permittente, Missam pro sponso et sponsa audiant, ac sollemnem benedictionem nuptialem intra eamdem accipiant.

466.—Cum autem fideles matrimonium in his regionibus contrahentes, juxta concessionem Sanctae Sedis nunc vigentes, quocumque anni tempore nuptiarum benedictionem accipere

possint, dummodo illis temporibus in quibus ab Ecclesia sollemnis benedictio de se vetatur, a nimia pompa abstineant; Concilium, bene perspectis harum Insularum peculiaribus adjunctis, decernit:

1.0 Tempore feriato, ad normam can. 1108 § 2 computando, abstineant parochi a nuptiis primae classis celebrandis, ab iis scilicet quae cum magna sollemnitate, juxta morem in dioecesi receptum, interdum habentur.

2.0 Tempore item vetito, ac praesertim tempore Quadagesimae, caveant nupturientes ne nuptias cum nimio splendore aut ostentatione ineant, neve eadem occasione protractas commessiones instituant.

3.0 Quoties matrimonium vespere, aut absque Missae celebratione contrahatur, ne omittant parochi benedictionem nuptialem sponsis impertiri, adhibita formula in appendice *De matrimonio* Ritualis Romani contenta.

467.—In matrimoniis mixtis, seu inter partem catholicam et partem acatholicam, cum debita dispensatione celebrandis, interrogationes de consensu fieri debent a parochi; revocata facultate, alicubi a Sancta Sede olim concessa, passive similibus matrimoniis assistendi.

Sed omnes sacri ritus prohibentur; quod si ex hac prohibitione graviora mala praevideantur, Ordinarius potest aliquam ex consuetis ecclesiasticis caeremoniis permittere, exclusa semper Missae etiam privatae celebratione “si haec Missa ex rerum adjunctis haberi possit uti complementum caeremoniae matrimonialis”.^{3 1}

¹ S. C. Consist., 26 Mart. 1949.

² Pont. Comm. ad Cod. Can. auth. interpr., 10 Mart. 1928.

³ Can. 1102 S 2; Pont. Comm. ad Cod. Can. auth. interpr., 10 Nov.

Omnia quae in hoc decreto statuuntur sunt eodem modo intelligenda et observanda in matrimoniis inter catholicos et communistas, de quibus dictum est in decr. 451, 2.0 et 3.0.

468 .—Praeterea Concilium districte, in quavis matrimonii celebratione, prohibet atque interdicit:

1.0 Ne ullo modo in ecclesiis toleretur aut introducatur mos comitandi sponso ad altare eosve exinde deducendi, cum caeremoniis et concentibus modum theatralem sapientibus.

2.0 Ne unquam intra ecclesiae ambitum permittatur, ut certa pecuniae aut oryzae quantitas a circumstantibus in sponso projiciatur, vel circum eos spargatur, gratulationis et jucunditatis gratia.

3.0 Ne occasione nuptiarum sollemnium, concentus musici profani, aut cantus ab Ordinario loci minime approbati, in ecclesiis vel sacellis adhibeantur.

Art. 6. De dissolutione vinculi infidelium.

469 .—Missionarii, antequam per usum privilegii Pauli- ni, parti fideli novum matrimonium permittant, sedulo investigent an omnes conditiones a jure requisitae adsint. In dubio, praeter probatos auctores, ipsum Ordinarium loci aliosque peritos consulere debent.

470 .—Ut ad normam can. 1122 de factis interpellationibus in foro externo constet, conficiatur aptum documentum, eique adjungantur alia instrumenta quae ad idem negotium referuntur.

Quoties dispensatio ab interpellationibus concedatur, aut interpellationes omittantur propter dubium de valore matrimo-¹

¹ S. C. S. Off., II Aug. 1949.

nii in infidelitate contracti, quod in favorem fidei ut invalidum habeatur, in scriptis pariter haec omnia fideliter redigantur cum significatione loci, diei, mensis et anni.

Omnia haec documenta apto ordine disposita in archivo custodiantur, et de eis mentio in libro matrimoniorum fiat.

471. —Ea quae matrimonium respiciunt in constitutionibus Pauli III *Altitudo*, i Jun. 1537, S. Pii V *Romani Pontificis*, 2 Aug. 1571, Gregorii XIII *Populis*, 25 Jan. 1585, quaeque pro peculiaribus locis scripta sunt, ad alias quoque regiones in eisdem adjunctis extenduntur.¹

Ad normam hujus canonis et subsequendum Sanctae Sedis declarationum, missionarii in Philippinis operam navantes statuta in decretis sequentibus contenta prae oculis habeant.

472. —Const. *Altitudo* indis viris polygamis concedit, cum convertuntur, uxorem primo acceptam, aut (si quam primo acceperint non recordentur) quamlibet ex acceptis, retinere, renovato consensu ad cautelam in forma ordinaria.

In similibus casibus, nulla requiritur dispensatio super impedimento disparitatis cultus, utpote implicite jam concessa per Const. *Altitudo*: salva tamen obligatione, jam ante baptismum imponenda, adimplendi ea quae vi juris divini requiruntur, scilicet catholicam educationem universae proles et remotionem periculi perversionis conjugis conversi.

473. —Const. *Romani Pontificis* concedit memoratis indis viris polygamis, ut cum uxore quae cum ipsis fuerit baptizata et baptizabitur remanere valeant, aliis dimissis.^{1 2}

¹ Can. 1125.

² S. C. S. Off., 30 Jun.

Ad hujus connubii validitatem, requiritur ex utraque parte renovatio consensus matrimonialis in forma jure praescripta.¹

474 .—Const. *Populis*, pro indis utriusque sexus servitute oppressis, longe avulsis a legitimis conjugibus in infidelitate susceptis, concedit locorum Ordinariis, parochis et missionariis Soc. Jesu ad confessiones audiendas ab ejusdem Societatis Superioribus approbatis, facultatem dispensandi ab interpellatione pro matrimonio cum quovis fidei etiam alterius ritus contrahendo, dummodo constet etiam summarie et extra judicialiter de impossibilitate interpellationis faciendae, vel de non accepto responso intra tempus in monitione praescriptum. Immo valida et firma declarat matrimonia sic contracta, quamvis postea constiterit conjuges infideles legitime impeditos respondere non potuisse, et ad fidem etiam tempore transacto secundi matrimonii conversos fuisse.

Memoratae facultates dispensandi ab interpellatione, aestimandae sunt ex tenore ipsius Constitutionis, et ab ipso jure concessae intelliguntur etiam quasi-parochis.'

Art. y. De divortio.

475 .—Non sine magno animi dolore fatendum est, inimicos Dei omnem conatum etiam in his Insulis adhibere, ad sacram familiae institutionem profanandam et matrimonii indissolubilitatem conculcandam, ope praesertim recentiorum doctrinarum novique cogitandi et loquendi modi, quibus di-^{1 2}

¹ S. C. S. Off., 30 Jun. 1937.

² Praeses Pont. Comm. ad Cod. Can. auth. interpr., 26 Jan. et 3 Aug. 1919.

vortium aut laudibus extollitur aut saltem ab omni culpa et infamia vindicatur.

476. —Concilium igitur, sequens normas a Pio XI in Encycl. *Casti connubii* atque in epistola apostolica ad Ordinarios harum Insularum 18 Jan. 1939 datas, puellas ac juvenes Actionis Catholicae, matresfamilias aequae ac viduas, omnes denique feminas catholicas cujusvis aetatis et conditionis hortatur ac paterna sollicitudine allicit, ad personas proprii sexus in vera pietate christiana sustinendas, necnon ad veritatem omni qua par est via errori opponendam, turpi vitio splendorem castitatis, cupiditatum servituti libertatem filiorum Dei, iniquae divortiorum facilitati perennitatem genuinae in matrimonio caritatis et ad mortem usque inviolatum datae fidei sacramentum.

477. —Dissolutio vinculi conjugalisi nemini licet, nec a civili potestate concedi unquam potest; separatio autem tori, mensae et habitationis auctoritate Ordinarii loci fieri debet, neque propria auctoritate fieri potest extra casus jure canonico exceptos. Causae enim matrimoniales inter baptizatos, ad normam can. 1960, jure proprio et exclusivo ad iudicem ecclesiasticum spectant.

478. —Concilium probare non potest vitam, quadamtenus dissociatam, quam plures conjuges agunt in magnis praesertim civitatibus; ubi viri, uxoribus et filiis domi relictis, cauponas aliaque oblectamenti aut ludi loca, sub fucata specie animi relaxandi, assidue in multam noctem petunt, non sine proprii patrimonii ipsiusque familiae detrimento.

Quare conjuges, quantum in Domino potest, obsecrat ut intime conjuncti proprios lares foveant ac domesticam vitam diligant; ita ut, sine praejudicio honestae alicujus animi re-

laxationis sumendae, domi sub noctem ordinarie se recipiant atque, juxta pium majorum nostrorum morem, mariale rosarium una cum uxore, liberis et famulis quotidie, antequam cubitum eant, devote recitent.

Art. S. De causis nullitatis matrimonii.

479.—In Insulis Philippinis, Sanctae Sedis induito, pro causis de nullitate matrimoniorum in prima instantia tractandis forum competens est Tribunal Regionale in sede Metropolitana constitutum pro unaquaque provincia ecclesiastica.

480.—Pro tractatione earumdem causarum in gradu appellationis, incolumi semper facultate directe provocandi ad Sacram Romanam Rotam juxta can. 1599 § 1 Codicis juris canonici, forum competens est Tribunal Superius ad causas matrimoniales tractandas in secunda instantia, pro tota Republica Manilae constitutum (a Tribunali Regionali Manilensi alterum).

481.—1.0 Officiales, iudices, promotores justitiae, defensores vinculi alique administri Tribunalium Regionalium deligendi et constituendi sunt ad definitum tempus ab Ordinariis dioecesium uniuscujusque provinciae ecclesiasticae pro suo Tribunali, juxta normas a Sancta Sede datas.

2.0 Officialis, iudices, administri omnes Tribunalis matrimonialis Superioris deligendi itemque ad tempus nominandi sunt, juxta normas a Sancta Sede datas.

482.—In pertractandis causis de nullitate matrimoniorum, praeter Instructionem a S. Congr. de Sacramentis die 15 Aug. 1936 datam, prae oculis habeantur peculiare normae ab eadem S. Congregatione pro Insulis Philippinis editae.

Caput X.

De Sacramentalibus.

483. —Excitentur fideles ad usum pium et frequentem Sacramentalium, speciatim aquae benedictae, quam domi et in cubiculo habere assuescant; et ut sollemni benedictioni candelarum, cinerum atque palmarum, itemque benedictioni ecclesiarum, altarium, campanarum vel coemeterii assistant.

484. —Invigilent sacerdotes ne praxis ulla superstitiosa inducatur, neve Sacramentalia ipsa a rudibus vel malitiosis adhibeantur ad finem superstitiosum, tribuentibus effectum infallibilem curationis aut futurorum eventuum cognitionem, precibus quibusdam aut tactui rerum sacratarum.

485. —Licet Ecclesia non reprobet praxim candelas offerendi in honorem Sanctorum aut eas accendendi in suffragium defunctorum, sedulo tamen instruendi sunt fideles harum regionum, ne in usu harum rerum sistant atque ideo proprias obligationes negligant, neve candelas orationi vocali aut ipsi Missae auditioni unquam praeferant.

486. —Laudanda est piarum feminarum consuetudo deferendi vestes praevie benedictas, quae, pro cuj usque devotione, aut indumenta B. Mariae Virginis de Lourdes vel de Monte Carmelo, aut habitum S. Antonii de Padua vel alicujus Sancti canonizati, imitantur.

Abstineant autem sacerdotes a similibus vestimentis benedicendis, quoties aliquid indecorum prae se ferant, aut modestiae christianae regulis minus conformia inveniantur.

487. —Licet in votis Concilii sit nullam specialem mentionem facere de rebus quibus Ecclesia, in aliquam Sacramentorum imitationem, uti solet ad obtinendos ex sua impetra-

tione effectus praesertim spirituales; abstinere autem non potest ab usu scapularis B. Mariae Virginis de Monte Carmelo commendando, ob singulares gratias huic devotioni adnexas ac nominarim ob privilegium, sic dictum, sabbatinum.

488. —Benedictione donari possunt res mere profanae, dummodo ne sint malae, neque ob suam indignitatem vel indecentiam receptioni Sacramentalis repugnet.

Prae ceteris autem commendamus benedictionem mulieris post partum, infirmorum, infantium; itemque praxim domos, agros, fructus aliaque similia benedicendi, servatis rubricis Ritualis Romani.

489. —Quando insignia seu vexilla non pertineant ad societates religioni catholicae manifeste contrarias, nec reprobata sint harum statuta, neque ipsa insignia seu vexilla aliquod emblema de se vetitum ac reprobatum praeseferant, in ecclesiis admitti possunt. Quum vero in favorem et obsequium ejusdem religionis catholicae pacifice postuletur supradictorum insignium seu vexillorum benedictio, haec concedi potest, adhibita formula Ritualis Romani.*²

490. —Proposito autem dubio: “An vexilla cujusvis civium partis (*partido politico*) benedicere liceat”, Suprema Sacra Congregatio Sancti Officii, die 20 Martii 1947? respondendum decrevit: *Negative*.

491. —Omnibus sacerdotibus nostris commendamus ut attente ac diligenter legant, ad benedictiones reservatas a non reservatis discernendas, Ritualis Romani rubricas atque ut omnia quae ad benedictiones impertiendas pertinent, ea qua par est gravitate et reverentia, peragant.

*S. C. S. Off., 20 Jan. 1613; 16

² S. C. Rit., 26 Mart. 1924.

Titulus VII.

DE LOCIS ET TEMPORIBUS SACRIS.

Caput I.

De ecclesiis et oratoriis.

492 .—In nova ecclesia aedificanda, locus aptissimus, fidelium atque operariorum accessui accommodatus et sacris aedibus conveniens, seligatur. Quare:

1.0 Ut servetur traditio ecclesiastica, in memoriam Jesu Christi, qui cruentum sacrificium oblaturus in montem Calvariae ascendit, atque ad significandam civitatem illam sanctam in monte positam, id est Ecclesiam, quantum fieri potest, ecclesiae novae in edito ac prominenti loco aedificentur.

2.0 Quod si fieri nequeat, saltem ita super solum eleventur, ut per aliquot gradus, ut plurimum numero impares, ad ecclesiae pavementum ascendatur.

3.0 Ad mentem praescripti decr. 266, magnarum civitatum suburbia aliaque opificum loca ne negligantur, imo, ceteris paribus, aliis locis praeferantur.

493 •—Ne autem quod Deo dicatum est, ad profanos usus iterum destinetur, et ne ex humana cupiditate, malitia vel inconstantia, Ecclesia amittat quod ipsi pro Deo et propter Deum datum est, mandamus ut in omnibus erectionibus novarum ecclesiarum, sacellorum, cappellarum seu oratoriorum publicorum, per instrumentum publicum, in tuto ponatur tum perpetua destinatio dictarum ecclesiarum et oratoriorum publico cultui catholico, tum perpetua dependentia eorumdem

sacrorum aedificiorum a respectivis Ordinariis, tum liber accessus sacerdotum ab Ordinario approbatorum et omnium fidelium ad hujusmodi templa vel oratoria publica, juxta normas ab Episcopo praescribendas.¹

In tuto pariter ponatur possessio fundi seu terreni in quo ecclesia vel oratorium erigi debet, ita ut de jure Ecclesiae in ipsum plane constet per instrumentum legate Episcopo tradendum.

494 .—Quo major sacris aedibus honor accrescat, Episcopus in novo opere approbando, curet ut novae ecclesiae ab aedibus profanis, et praesertim sordidis, prorsus separatae existant. At si ex rationabili causa prope ipsam ecclesiam domus sint aedificandae, cavendum est, ne prospectus, decor et quies domus Dei impediatur.

495 .—Nemo ecclesiam aut oratorium aedificare vel instaurare audeat, sine licentia in scriptis data ab Ordinario loci; ad quem una cum petitione mitti debet descriptio cum delineatione operis perficiendi, et (nisi de exemptis agatur) exquisita relatio pecuniae quae jam habetur aut jure speratur, et computatio sumptuum qui probabiliter necessarii erunt ad opus perficiendum.

Similiter contractus ad aedem sacram non exemptam construendam vel notabiliter reparandam ne ineantur, absque expresso ejusdem Ordinarii loci consensu scriptis dato.

496. —Exoptat Concilium ut in civitate Manilana *Commissio Nationalis de Arte Sacra* instituat, e laicis et ecclesiasticis viris coalescens, qui non modo sint arte periti, sed etiam christianae fidei firmiter adhaereant, ad pietatem sint

¹ Cone. Manii. I, n. 1054.

informati et certas rationes, ab auctoritate ecclesiastica definitas, animo libenti sequantur.

Hujus Commissionis erit aedificiorum delineationes (*blue prints*) a sacerdotibus vel Ordinariis exhibitas diligenter examinare, atque suum votum seu consilium dare, quod cum normis a Sancto Officio die 30 Junii 195² datis atque ipsius artis sacrae fine minime dissideat.

Episcopis autem ac parochis omnibus pro viribus suadet ut, in futuris ecclesiis aut sacellis aedificandis, ejusdem Commissionis opera utantur.

497. —In ecclesiis et oratoriis, sive aedificatis sive aedificandis, nullum extruatur altare, nullaeque inscriptiones aut imagines aut simulacra permittantur, nec antiquae substituantur, sine Ordinarii loci approbatione scriptis habenda.

498. —Divina officia celebrari in nova ecclesia vel oratorio publico nequeunt, antequam eadem vel sollemni consecratione vel saltem benedictione divino cultui fuerint dedicata.

Oratoria semipublica possunt benedici, benedictione constitutiva vel invocativa, aut non benedici.

Oratoria privata seu domestica, nec consecrari nec benedici possunt more ecclesiarum; benedictione tamen donari possunt, adhibita formula in Appendice ad Rituale Romanum contenta, aut communi locorum domorumve benedictione.

499. —Meminerint omnes ecclesiam, itemque oratorium publicum, in omnium fidelium usum destinari ad divinum cultum publice exercendum. Unde:

1.0 Absque expresso et scripto loci Ordinarii consensu, nemo potest vindicare locum sibi reservatum, neque scamnum ¹

¹ Can. 1165 § 1.

habere proprium in ecclesiis et oratoriis publicis, salvo praescripto can. 1263;

2.0 Omnino in ecclesiis et oratoriis publicis prohibentur comitia profana, ludi scaenici, sive personati sive mechanici, etiam ad res religiosas pertinentes;

3.0 Nullatenus in eisdem locis permittuntur repraesentationes cinematographicae, etiamsi catechesis aut associationis alicujus missionalis fovendae causa fiant.¹

500 .—Licet oratoria domestica et semipublica communi locorum domorumve benedictione aut nulla benedictione donentur, debent tamen esse divino tantum cultui reservata et ab omnibus domesticis usibus libera/

501 .—Nemo ex laicis, praeter addictos ecclesiae, in sanctuario seu presbyterio, vel loco quocumque sacerdotibus reservato, cum divina mysteria peraguntur, adesse toleretur; salvo praescripto decr. 542.

Tempore autem celebrationis matrimonii, praeter sponso, rationabiliter in presbyterium admitti possunt testes, officii sui causa, non vero parentes, propinqui aliique eadem occasione adstantes.⁵

502 .—Habeat unaquaeque ecclesia sacram suppellectilem pro ministrorum numero et functionibus celebrandis necessariam, quae caute custodiatur in ecclesiae sacrario aliove loco decenti ac tuto, et de ipsa accuratum inventarium conficiatur.

503 •—Ad mentem canonis 1178, curent omnes ad quos pertinet:^{1 2 3}

¹S. C. Consist., 10 Dec.

² Can. 1196 § 2.

³ S. C. Rit., 20 Nov. 1940.

1.0 Ut ecclesiae atque oratoria nullo modo habeantur ut domus privatae, neque ullo pacto adhibeantur ad quiescendum, laborandum aut deponendum res ad cultum non spectantes.

2.0 Ut in eisdem locis omnia a squalore et sordibus et pulvere sint immunia, ita ut altaria, imagines, confessionalia aliaque omnia crebro ac statis temporibus mudentur.

3.0 Ut in ecclesiis et oratoriis eorumque sacristiis, silentium religiose ab omnibus servetur ac vanae confabulationes studiose vitentur;

4.0 Ut intra ecclesiarum ambitum imagines photographicae ne effingantur, nisi in aliquo eventu extraordinario, de expresso parochi aut rectoris ecclesiae consensu, atque opportunis adhibitis cautelis ad vitandam sacrae actionis et fidelium perturbationem.

5.0 Ut tuguria, tentoria aut alia aedificia ad esculenta aliasve merces vendendas, itemque tonsorum officinae aliaque hujusmodi, reprobata quavis contraria consuetudine, circum ecclesias et oratoria, prope aedes sacras non erigantur, ne occasione quidem magnarum festivitatum localium; et si quae irreperint vel erecta fuerint, quamprimum removeantur.

504. —Cum ex vetustissima ac veneranda Ecclesiae traditione campanae aere confectae adhibeantur ad populum pro sacris functionibus convocandum, caveant parochi et ecclesiarum rectores ne in turribus vel ecclesiarum summitate, loco Campanarum collocari sinant instrumenta vulgo dicta radio-phonica.¹ Urgente tamen gravi necessitate atque accedente Ordinarii loci approbatione scripta, eadem praxis tolerari ad tempus potest.

¹ S. C. Rit., 27 Nov. 1941.

Parochi et ecclesiarum rectores Campanarum praeterea usum ad normam can. 1169 Codicis juris canonici moderentur; requisita etiam tempestive et habita proprii Ordinarii licentia, si, ex gravi causa, sacrae campanae in usum non stricte religiosum sint quandoque adhibendae.¹

Caput II.

De coemeteriis.

505 •—“Fidelium defunctorum corpora sepelienda sunt, reprobata eorundem crematione.”

Quamvis igitur cadaverum crematio, quippe non absolute mala, in extraordinariis rerum adjunctis, ex certa gravique boni publici ratione, permitti queat et revera permittatur; communiter tamen ac veluti ex regula ordinaria eidem operam vel favorem praestare, impium et scandalosum ideoque graviter illicitum esse nemo non videt.^{1 2 3}

506 .—Sacerdotes, data occasione, praestantiam, utilitatem ac sublimem ecclesiasticae sepulturae significationem seu privatim seu publice praedicare ne cessent; atque, ut fideles a cremationis impietate deterreantur, aperte doceant hoc reapse consilio a christiani nominis hostibus cadaverum cremationem laudari ac propagari, ut, animis a mortis consideratione speque corporum resurrectionis paulatim aversis, materialismo sternatur via.

507 •—Cadavera fidelium sepelienda sunt in coemeterio quod, secundum ritus in probatis liturgicis libris traditos, sit benedictum, sive sollempni sive simplici benedictione, ab iis data

¹ S. C. Cone., 20 Mart. 1931.

² Can. 1203 § 1.

³ Instr. S. C. S. Off., 19 Jun.

de quibus in can. 1156. Nam christiani in suis monumentis non tam quiescere quam dormire censentur, usquedum in universali resurrectione corpora veluti a prolixiore somno ad aeternam felicitatem suscitentur.¹

508 .—Circa prohibitionem sepeliendi cadavera in ecclesiis, de qua in can. 1205 § 2, probe notanda sunt sequentia:

1.0 Sepultura fidelium prohibetur etiam in ecclesia subterranea, quae sit vere et proprie ecclesia divino cultui addicta.

2.0 Nequit tolerari praxis statuendi per testamentum voluntatem transferendi proprias exuvias e communi coemeterio in aliquam ecclesiam, post aliquod temporis lapsum a morte; et Episcopi debent curare ut hujusmodi praxis prudenter removeatur.

3.0 Non solum cadavera, sed ossa quoque sepeliri interduntur in ecclesiis.^{1 2 3}

4.0 Immo, in ecclesiis earumque cryptis divino cultui destinatis, apponere non licet tabulas cum inscriptionibus et nominibus fidelium defunctorum, quorum corpora inibi tumulata non sunt nec tumulari possunt.⁴

509 .—Ordinarie unaquaeque paroecia proprium habeat coemeterium, nisi forte in civitatibus, quae pluribus constant paroeciis, unum coemeterium sit praeferendum.

Nemo, etiamsi sit parochus, ad novum coemeterium ecclesiasticum constituendum procedat, antequam Episcopus loci consilium ratum habuerit atque universi negotii condiciones approbaverit. Quae approbatio eo facilius obtinebitur, si locus

¹ Can. 1205 § 1; Cone. Manii. I, n. 1094.

² Pont. Comm. ad Cod. Can. auth. interpr., 16 Oct. 1919.

³S. C. Cone., 13 Dec. 1927.

⁴ S. C. Rit., 20 Oct. 1922.

eligatur aptissimus, sat amplius, siccus, quatenus regionis natura permittit, aliquatenus saltem editior, omnibusque qualitatibus hygienicis praeditus; insuper, non nimis dissitus, sed commodus, ut exsequiae absque impedimento celebrari et ipsa coemeteria a fidelibus, suadente devotione et caritate, frequentari queant.¹

510 .—Ad mentem can. 1206, sicubi Ecclesia proprio coemeterio careat, neque spes habeatur illud intra breve tempus aperiendi:

1.0 Curent locorum Ordinarii ut coemeteria, societatis civilis propria, benedicantur, si, qui in eis condi solent, sint majore ex parte catholici; aut saltem ut in eis catholici spatium habeant, idque benedictum, sibi reservatum.

2.0 Si ne hoc quidem obtineri possit, toties quoties benedicantur, secundum ritus in probatis liturgicis libris traditos, singuli tumuli.

511 .—Nihil obstat quominus lampades etiam electricae ardeant supra sepulcra defunctorum in Christo quiescentium in coemeteriis rite benedictis.^{1 2}

Mens autem Ecclesiae est, ut haec lux, sicut ornatus florum sepulcris appositus, non sit tantum officium humanitatis et solatium vivorum, sed horum in carnis resurrectionem et vitam aeternam fidei catholicae testimonium et professio. Insuper nullum afferri debet detrimentum supplicationibus, quae, juxta dogma catholicum, praecipue prosunt fidelibus defunctis, nempe sive altaris, sive orationum, sive eleemosynarum sacrificia.

“Caveant Ordinarii locorum, parochi ac Superiores, ad quos spectat, ne in coemeteriis epitaphia, laudationes funebres

¹ Cone. Manii. I, nn. 1097,

² S. C. Rit., 30 Oct. 1922.

ornatusque monumentorum quidquam prae se ferant a catholica religione ac pietate absonum/¹

512 .—In nostra regione saepe accidit, ut auctoritates locales coemeteria catholica, praetextu salubritatis publicae, claudant, atque indirecte catholicos adigant ad cadavera fidelium in coemeteriis mere civilibus sepelienda.

Quibus in casibus, parochi, consulto Episcopo, adeant auctoritates superiores ac omnibus legalibus mediis utantur, ut liberum coemeterii catholici usum recuperent. Quod si assequi nequeant, tunc novum coemeterium pro viribus condendum studeant, praescriptionibus legalibus accommodatum. Sciant enim, leges vigentes jus catholicis tribuere propria habendi coemeteria, ac exercitium hujus juris ab auctoritate civili nullo modo impediri posse.

Caput III.

De sepultura ecclesiastica.

513 .—Abusum non deferendi ad ecclesiam defunctorum corpora antequam sepulturae tradantur, sed illa statim a propriis domibus ad coemeterium devehendi, damnamus et reprobamus; ac pro nostro munere, ea qua par est severitate, urgemus observantiam can. 1215 haec statuentis: Nisi gravis causa obstet, cadavera fidelium, antequam tumulentur, transferenda sunt e loco in quo reperiuntur, in ecclesiam, ubi funus, idest totus ordo exsequiarum quae in probatis liturgicis libris describuntur, persolvatur/^{1 2}

¹ Can. 1211.

² Pont. Comm. ad Cod. Can. autli. interpr., 16 Oct. 1919.

514. —Concilium damnat morem, in dies magis invalescentem, curandi conditionem sepulturae et exsequiarum pompam, parvipensis aut penitus omissis Ecclesiae precibus vel Missa exsequiali.

Sciant enim oportet christifideles, “sacras caeremonias ac ritus, quibus ex antiquissima traditione et Summorum Pontificum institutis sancta mater Ecclesia Catholica in filiorum suorum exsequiis uti solet, tamquam vera religionis mysteria christianaque pietatis signa, et fidelium mortuorum saluberrima suffragia, summo studio servandas atque usu retinendas esse”.

515. —In exsequiis et suffragiis, omnino devitetur quidquid superstitionem et mundanam vanitatem aut levitatem sapiat, quidquid templi Dei sanctitati et majestati cognoscatur non congruere; potissimum arceantur in exsequiis inscriptiones, figurae sive effigies defuncti, emblemata et symbola quae aliquid indecorum innuant vel christiano homini non conveniens.”

516. —Feretrum, in quo reconditur corpus puellae aut pueri innuptorum, panno ex lana vel ex serico albo, in signum virginitatis, cooperiendum non est. Ubi autem hujusmodi consuetudo invaluerit, ita ut facile nequeat immutari, tolerari potest ut fascia nigri coloris, non tamen in modum crucis, superponatur panno albo; ita tamen, ut in quatuor lateribus appareat, quo fideles agnoscant defunctum egere suffragiis, et Ecclesiae precibus etiam proprias adjungant.

Pueri post usum rationis decedentes vel qui jam primam receperunt communionem, more adulterorum sepeliri, eorumque feretrum et tumulus coloris nigri esse, debent^{3 1 2}

¹ *Rit. Rom.*, tit VI, cap. 1.

² Cone. Manii. I, n. 551.

³S. C. Rit., 31 Aug. 1872, et 6 Nov. 1925

517. —Ad normam can. 1218 § 2 Codicis juris canonici, statuimus spatium quatuor kilometrorum incommodam reddere cadaveris translationem ad propriam paroeciam; si vero aspera sit via, distantiam duorum kilometrorum sufficere; firmo in omni casu praescripto § 3 ejusdem canonis.

518. —Quod attinet ad defunctos a jurisdictione paroeciali exemptos vi juris communis, standum est canonibus 1221, 1230 § 5? 1368 aliisque.

Si de defunctis agatur jurisdictioni parochi non obnoxiiis ex dispositione juris nostri particularis, serventur praescripta hujus Concilii decr. 176-181.

519. —Ecclesiastica sepultura privandi sunt qui mandaverint suum corpus cremationi tradi et in hac voluntate permanserint usque ad mortem, etiamsi crematio non sequatur.

Longe autem a veritate evidenter absunt, qui, ex speciosa ratione quod aliquem religionis actum defunctus, dum viveret, exercere solitus esset vel quod ultimo vitae momento pravam voluntatem forte retractare potuerit, licitum censent exsequias ecclesiasticas eidem, praesente cadavere, de more persolvere. Quum enim de hac conjectata retractatione nihil certo constare queat, nullam ipsius in foro externo rationem haberi posse palam est.

Immo, nec licet ejus cineres sepultura ecclesiastica donare vel quomodocumque in coemeterio benedicto asservare, sed ad praescriptum canonis 1212 in separato loco sunt reponendi. Quodsi forte civilis loci auctoritas, Ecclesia infensa, vi contrarium exigat, ne desint sacerdotes ad quos spectat, qua par est ¹

¹ Pont. Comm. ad Cod. Can. auth. interpr., 10 Nov. 1925.

animi fortitudine, huic apertae Ecclesiae jurium violationi ob-
sistere, emissaque congrua protestatione, ab omni abstineant
interventu.¹

520 .—Licet Ecclesiae ritus et suffragia non inhi-beantur
quoties agatur de iis quorum corpora, non propria ipsorum, sed
aliera voluntate cremationi subjiciuntur; probe tamen notandum
est, haec eatenus ab Ecclesia tolerari, quatenus per opportunam
declarationem “cremationem non propria defuncti sed aliena
voluntate electam fuisse” scandalum efficaciter removeri queat.
Sicubi igitur specialia rerum temporumque adjuncta id sperare non
sinant, funerum ecclesiasticorum hoc quoque in casu
prohibitionem integram manere dubitari non potest.^{1 2 3}

521 .—Occurrente in casibus particularibus dubio num quis
privandus sit ecclesiastica sepultura, consulatur Ordinarius loci, si
tempus sinat. Si vero, ratione distantiae vel alterius gravis
impedimenti, Episcopus adiri non possit, parochi normam
christianae lenitati et misericordiae magis conformem teneant,
praesertim cum res sit de fidelibus subitaneo languore e vivis
sublatis, qui poenitentiae signa haud exhibere potuerunt.

522 .—Electio sepulturae in coemeterio civili, sive a pro-
pinquis aut heredibus sive ab ipso defuncto facta, non est de se
causa sufficiens ad officia funebria deneganda iis qui pie in
Domino obierunt.

Attentis igitur instructionibus Sacrae Congregationis
Concilii, ac revocatis contrariis statutis particularibus huc usque
vigentibus, decernimus ut cadavera fidelium, quae ad ec-

¹ S. C. S. Off., 19 Jun. 1926.

² S. C. S. Off., 15 Dec. 1886, et 19 Jun. 1926.

³ Cone. Manii. I, n. 1105.

clesiam pro exsequiis celebrandis deferuntur, benedictione seu officio funebri consueto semper donentur, nisi agatur de iis qui ab ecclesiastica sepultura excluduntur ad normam can. ¹²⁴o; quodsi, justa aliqua interveniente causa, cadavera in coemeterio civili sepelienda sint, parochorum est curare ut singuli eorum tumuli ibidem benedicantur, excepto casu quo ipsum coemeterium aut ejus spatium catholicis reservatum jam sit benedictum juxta dicta in decr. 510.

Reprobamus autem abusum illum intolerabilem in aliquibus paroeciis vigentem, quo, absente ad diem aut ad aliquas horas parochi, recitatio precum pro benedictione tumuli committitur sacristae vel cantori aut cantatrici, laicis scilicet servitio ecclesiae addictis, qui praeterea taxas consuetas exigere non verentur a defuncti cognatis.

523. —Nihil obstat quominus, pro more in his regionibus recepto, novendiales preces in ipsa defunctionis domo, a cognatis et amicis defuncti, pro ejus anima in communi fundantur; dummodo haec ad divinam implorandam misericordiam pro animabus defunctorum unice fiant, non autem ad mundanam ostentationem fovendam aut ad convivia profana eadem occasione instituenda.

524. —Laudamus quidem devotionem fidelium, quoad responsoria, quae pro suis defunctis recitanda vel cantanda curant, mense praesertim Novembri; sed volumus, ut Episcopi hac in re sedulo invigilent, et, si quos abusus deprehenderit, tum circa modum seu ritum hujusmodi responsoriorum, tum circa eleemosynas pro unoquoque responsorio accipiendas, tum circa personas pro quibus suffragia postulantur, illos pru-

denter ac efficaciter e medio tollere satagant, collatis, si natura abusus id expostulet, omnium Episcoporum provinciae consiliis.¹

Caput IV.

De diebus festis.

525 .—Dies festi sub praecepto in Philippinis servandi, sunt omnes et soli in canone 1247 Codicis juris canonici enumerati.

526 •—Animarum curatores vehementer hortamur ut, opportune et importune, fideles moneant de gravi obligatione dies festos de praecepto, etiam non dominicos, sanctificandi, juxta praeceptum ecclesiasticum et iteratas Pastorum admonitiones.

527 .—Ut praeceptum audiendi Sacrum facilius ab omnibus observetur, horas celebrationis populi necessitatibus accommodent sacerdotes; easque ita ordinare curent, ut non tantum in eadem ecclesia, sed in diversis quoque ejusdem loci sacellis et oratoriis, quoad fieri possit, Missae non simul sed successive celebrentur.

In civitatibus et majoribus oppidis, ad valvas ecclesiarum, ubi plures Missae celebrentur, affigatur tabella horas celebrationis indicans. Praeterea Missae omnes praevio Campanarum sonitu tempestive annuntientur.

528. —In memoriam pariter fidelium frequenter revocetur obligatio abstinendi ab operibus servilibus, actibus forensibus, itemque, nisi aliud ferant legitimae consuetudines aut peculiaris indulta, publico mercatu, nundinis, aliisque publicis emptionibus et venditionibus.

¹ Cone. Manii. I, n. 556.

529 .—Ubi, ex defectu sacerdotum, impossibilis sit auditio Sacri diebus festis, curandum est pro viribus ut omnes fideles, in ecclesia, sacello vel aliquo honesto loco, singulis diebus festis, semel saltem et hora magis convenienti convocentur; ut simul formulas rudimentorum fidei, rosarium B. Mariae Virginis vel alias preces devote recitent.

Peroptamus autem ut, ubicumque iudicio Ordinariorum prudenter fieri potest, per aliquem fidelem catechistam, vel alium virum pietate et morum integritate commendabiliorem, fiat brevis aliqua lectio ad communem instructionem et aedificationem.¹

530 .—Satagant parochi ac missionarii ut Patronorum festa, etsi ecclesiastico praecepto non subjaceant, spiritu vere christiano a fidelibus celebrentur. Desidiam eorum reprobantes, qui ad otium et delicias festa localia sibi praesto esse reputant, ac proinde non spiritualibus lucris conquirendis, sed profanis tantum spectaculis, ludis aleatoriis, crapulis et ebrietatibus vacare solent; easdem occasiones arripere conentur sacerdotes ad fideles, in pagis praesertim remotioribus degentes, spirituali pabulo nutriendos, tum apto sermone ad eorum instructionem accommodato, tum administratione eorum Sacramentorum quae tantopere juvant ad animae vires reficiendas.

Caput V.

De abstinentia et jejunio.

531 .—Diebus jejunii omnibus, in refectiuncula matutina, permittuntur ova et lactinia, salva lege quantitatis.

¹ Cone. Manii. I, n. 502.

Ad quantitatem quod attinet, habita ratione constitutionis non admodum robustae qua incolae harum Insularum generarim gaudent ob caeli temperiem, omnibus jejunantibus indulgemus ut mane sumere queant usque ad tertiam partem jentaculi quo homines bene valentes et non jejunantes refici solent, servato dictamine prudentum.

532 .—Vi consuetudinis legitimae, ab antiquis Sanctae Sedis privilegiis inductae aut populi moribus servatae, diebus jejunii semper licet omnibus, in refectioe serotina, uti ovis et lacticiniis, aut piscibus vesci.

533 .—Nulla taxa pecuniaria nullaque eleemosyna imponitur fidelibus pro usu indulti circa abstinentiam et jejunium.

Titulus VIII.

DE CULTU DIVINO.

Caput I.

De Sacra Liturgia.

534. —Sacra Liturgia, ait Pius XII in Encycl. *Mediator Dei et hominum*, 20 Nov. 1947? cultum publicum constituit, quem Redemptor noster, Ecclesiae caput, caelesti Patri habet; quemque christifidelium societas Conditori suo et per ipsum aeterno Patri tribuit; utque omnia breviter perstringamus, integrum constituit publicum cultum mystici Jesu Christi Corporis, Capitis nempe membrorumque ejus.

535. —Universus autem cultus, quem Ecclesia Deo adhibet, ut externus, ita internus esse debet. At praecipuum divini cultus elementum internum esse debet: oportet enim semper in Christo vivere, eidemque se totum dedere, ut in eo, cum eo et per eum debita caelesti Patri attribuat gloria. Sacra autem Liturgia postulat ut intime duo ejusmodi elementa inter se conjungantur; quod ipsamet etiam atque etiam commendare non praetermittit, quotiescumque externum aliquem praecipit religiosi cultus actum. Liturgia igitur supponit sanctitatem fidelium; quae prae ceteris efficitur *ex opere operato* Sacrificii Eucharistici ac Sacramentorum, et *ex opere operantis* Ecclesiae.

Cumque cultus externus, non solum ab individuo, sed etiam a familia atque ab ipsa societate civili praestari debeat,

planum est viros catholicos publica munia exercentes a fortiori ad eundem deferendum teneri.

536 •—Cum Sacra Liturgia intimam connexionem habeat cum fidei veritatibus, atque a sacerdotibus imprimis Ecclesiae nomine absolvatur, idcirco ejus ordinatio, moderatio ac forma ab Ecclesiae auctoritate pendet, nullo autem modo relinquatur privatorum etsi clericorum arbitrio.

537 .—In omnibus Liturgiae rebus tria haec potissimum ornamenta splendescere debent, de quibus S. Pius X loquitur, Motu Proprio diei 22 Nov. 1903: sanctitudo nempe, quae a quovis profano afflatu abhorreat; rectae imagines ac formae, quibus genuinae optimaque artes inserviant ac famulentur; universitatis denique ratio, quae, legitimis servatis peculiarium regionum moribus ac consuetudinibus, catholicam Ecclesiae unitatem patefaciat.

538 •—In promovenda participatione populi in actione liturgica, meditatio, examen conscientiae, secessus spiritualis, aliaque exercitia pietatis etiam in triduum aut mensem ducta, non sunt ullo modo negligenda, neque reformanda ad modum ritus liturgici; ita tamen laudanda atque ipsis laicis commendanda, ut omnes clare intelligant “christianam vitam non in multis variisque precibus ac pietatis exercitiis consistere, sed in eo potius, quod haec ad spiritualem christifidelium profectum, ideoque ad totius Ecclesiae incrementum reapse conferant”.

In votis autem Summi Pontificis est ut, in singulis dioecibus, Consilium constituatur ad liturgicum provehendum apostolatum juxta normas ab Apostolica Sede datas.

Caput II.

De vitiis in cultu divino vitandis.

539.—Concilium, ad normam canonis 1258 Codicis juris canonici, fidelibus prohibet:

1.0 Ne una cum haereticis partes habeant in actibus religiosis per quos fidei participatio seu communio in sacris habetur, neque eorum concionibus aut cultui, quasi simul cum ipsis agendo, intersint; secus, sciant se suspectos de haeresi fieri, ad normam can. 2316.

2.0 Ne ipsi praesentia mere materiali sollemniis haereticorum civilis officii vel honoris causa assistant, nisi et adjuncta canonis 1258 § 2 concurrant, et in casibus dubiis accedat licentia Episcopi.

540.—Sacerdotes doceant fideles verbo et exemplo gravitatem et silentium in ecclesia servandum; eosque saepe saepius admoneant ut, cum templum ingressi fuerint, ante omnia Christum Dominum in tabernaculo reconditum adorent, postea vero imagines pro sua devotione adeant.

541.—Mulieres ecclesiam ne ingrediantur nisi capite cooperto et modeste vestitae. Eae autem, quae inhonestas vestes induant, a sancta Communione et a munere matrinae in sacramentis baptismi et confirmationis arceantur, atque, si casus ferat, ab ipso ecclesiae ingressu prohibeantur.

542.—Magistratibus, qui qua tales divinis officiis interfuerint, locus a fidelibus segregatus pro eorum dignitate et gradu designabitur; nunquam tamen in presbyterio, nisi de Catholico totius Reipublicae Praeside agatur.

¹ S. C. Cone, 12 Jan. 1930.

543 .—Statuatur et accurate servetur horarium fixum, pro temporum diversitate, ad sacras functiones in singulis ecclesiis peragendas, attenta fidelium commoditate.

544 .—In solemnitatibus in quibus Episcopi indumenta choralia adhibent, clerici tam saeculares quam regulares nequeunt in presbyterio vel choro admitti nisi superpelliceo aut rochetto induti.

Ad subdiaconi munus in divinis officiis gerendum, nunquam assumantur laici. Deficiente clerico in tali ordine constituto et adstante rationabili causa, deputari potest clericus qui in ordinibus minoribus vel saltem tonsura sit initiatus, dummodo manipulum non deferat.

545 .—Lux electrica vetita est, non solum una cum candelis ex cera super altaribus, sed etiam loco candelarum vel lampadum quae coram sanctissimo Sacramento vel reliquiis Sanctorum lucescere debent; immo, in gradibus superioribus ipsius altaris vel ante sacras imagines seu statuas super ejusdem gradibus et altari positas. Nec licet tempore expositionis privatae vel publicae interiorem partem ciborii cum lampadibus electricis in ipsa parte interiore collocatis illuminare, ut sanctissima Eucharistia melius a fidelibus conspici possit.

Pro aliis ecclesiae locis et ceteris casibus, illuminatio electrica, ad prudens Ordinarii iudicium, permittitur, dummodo in omnibus servetur gravitas, quam sanctitas loci et dignitas sacrae Liturgiae postulant.¹

546. —Episcopi, ad normam decreti S. Officii diei 26 Maji 1937, advigilare debent ne ulla cultus et devotionis forma nova inducatur, quae fidem simplicium periculo exponat aul

¹ S. C. Rit., 24 Jun. 1914.

ansam praebeat falsis erroribus; ac pro sua pastorali sollicitudine, abusus qui forte jam irrepererint firmiter abolere tenentur.

Nominarim inter fideles fovere non licet, utpote prohibitas, specialem devotionem erga Sacrum Caput Domini nostri Jesu Christi, *Devotionem amoris exinaniti Jesu, Rosarium quinque vulnerum Domini Nostri Jesu Christi, Devotionem amoris misericordis Jesu.*¹

Caput III.

De custodia et cultu sanctissimae Eucharistiae.

547. —Ubicumque sanctissima Eucharistia jure vel privilegio asservetur, sedulo observandae sunt praescriptiones a S. Congr. de Sacramentis prudentissime editae in Instructione diei 26 Maji 1938. Parochos autem atque ecclesiarum rectores omnes monemus, graviter eorum conscientiam onerantes, ut tria praesertim in praxim deducere conentur quavis excusatione remota:

1.0 Tabernaculum, ex quacumque materia confectum, sit semper inamovibile et undequaque solide clausum, atque ita altari aut parieti posteriori devinciatur ut facile inde amoveri nequeat.

2.0 Singularem diligentiam tabernaculum custodiatur in magnis civitatibus, in eoque praesertim tempore nocturno ne relinquuntur pyxides et vasa sacra magni pretii.

3.0 Clavis tabernaculi non est relinquenda in ejus ostiolo, neque super mensa altaris; sed, divinis officiis absolutis, in loco tuto et secreto sacristiae reponenda est.

548. _Episcopi aliique Ordinarii locorum, vi ejusdem Instructionis:

¹ S. C. S. Off., 18 Jun. 1938; 12 Dec. 1939; 5 Apr. 1941.

1.0 Non solum tempore visitationis dioecesium sed etiam extra eandem, quoties casus ferat, per se aut per idoneas ecclesiasticas personas diligenter inquirant quomodo in singulis paroeciis, ecclesiis et oratoriis provisum sit securitati custodiae sanctissimae Eucharistiae; et quoties comperiant non ea omnia concurrere quae jure postulantur, eadem praecipiant quam cito exsequenda, brevi tempore ad id praestituto, sub poena mulctae pecuniariae et etiam suspensionis a divinis pro sacerdotibus aut a munere, pro gravitate culpae, ab iis incurrendae, quibus officium competit omnia securitatis praesidia subministrandi.

2.0 Quoties furta sacrilega quibus sanctissima Eucharistia violatur, in sua dioecesi quacumque de causa acciderint, Episcopi, vel per se ipsi, quod est optandum, vel per suae Curiae officialem ad id specialiter delegandum, oeconomicum semper conficiant processum adversus parochum aliumve sacerdotem tam saecularem quam religiosum etiam exemptum Sanctissimi Sacramenti custodiae praepositum; actaque processus, iidem Episcopi ad S. Congregationem de Sacramentis transmittant cum suo voto, accurate descriptis furti patrati adjunctis, ac propositis canonicis poenis contra fontes infligendis, ejusdem S. Congregationis mandata praestolentur.

3.0 Mature perpendant severitatem poenarum, quae can. 2382 statuuntur contra parochum in hac custodia graviter negligentem; inspecto vero fine legis, curent ut analogis poenis plectantur et alii ecclesiae rectores, qui graviter in munere eis commisso delinquant, congrua congruis referendo. Ut autem locorum Ordinarii poenis prosequi queant et delinquentes religiosos utriusque sexus, etiam exemptos, facultates necessarias eisdem a S. Congregatione communicantur cumulative cum

eorum Superioribus majoribus, reservata tamen uni Episcopo facultate processum conficiendi de quo in num. 2.0 praecedenti.

4.0 Potestatem habent revocandi facultatem asservationis Eucharistiae in ecclesiis et oratoriis etiam privatis, quae hoc apostolico privilegio per indultum fruuntur, quoties adnotent aut erraves abusus intercessisse aut non omnes concurrere con-

ditiones pro segura custodia, reverentia et cultu debito erga Sanctissimum Sacramentum.

549. —Tabernaculum, non obstante contraria consuetudine, operiri debet *conopaeo* seu velo ad instar tentorii, juxta Rituale Romanum tit. IV, cap. 1, num. 6, et plura S. Congregationis Rituum decreta.

Conopaeum vero potest confici ex panno contexto ex gossypio, vel lana, vel canabe aut alia materia, sed non holoserica. Licet autem possit esse semper coloris albi, melius est ut colori officii diei adaptetur, ita tamen ut in Commemoratione omnium fidelium defunctorum atque in exsequiis adultorum sit coloris violacei.

550. —Cum oleum olivarum in nostris regionibus nonnisi magnis sumptibus comparari queat, omnibus nostris ecclesiis et oratoriis in quibus asservatur Sanctissimum Sacramentum indulgemus, ut lampas quae coram tabernaculo die noctuque continenter lucere debet ad normam can. 1271, oleo desumpto ex nucibus vulgo dictis *coconut* aut, in hujus defectu, aliis oleis, quantum fieri potest, vegetalibus nutriatur.

551. —Quoad asservationem Sacramenti Eucharistici ultimo triduo majoris hebdomadae, haec sunt observanda ad normam Instructionis editae a S. Congr. de Sacramentis die 26 Martii 1929:

1.0 Sacra Hostia pro Missa Praesantificatorum adser- vanda est in sacello intra Ecclesiam, quo pulchrius fieri poterit ornato luminibus, velis, non nigris tamen aut lugubribus, et floribus, sine reliquiis aut imaginibus sanctorum vel Beatissimae Virginis et S. Joannis Evangelistae, remotisque statuis scenas Passionis repraesentantibus. Capsula autem seu arca, ubi calix cum Sacra Hostia est reponendus, ita sit confecta ut calix, adorantibus nullimode pateat, et obseretur clave; super ostiolo capsulae, sigilla apponi non licet.

2.0 Pro communione infirmis danda, servandae sunt aliquae particulae consecratae in pyxide; quae extra Ecclesiam est reponenda, scilicet prope sacristiam in loco opportuno et apto, qualis esset cappella seu sacellum prope Ecclesiam, vel ipsum sacrarium, aut aliquod parvum conclave sacrarii tutum et decens; aut etiam locus decens in parochiali domo, a domesticis et profanis usibus sejunctus, et a quocumque irreverentiae periculo remotus. Ibi parandum est tabernaculum clave obserandum, lampade coram eodem jugiter ardente, et repositio ipsa Feria V facienda est.

3.0 Ubi hujusmodi aptus locus non habeatur, sacra pyxis adservanda erit a Missa Feriae V ad Missam Praesantificatorum ipso in *Sepulcro*, ut communiter appellatur, post calicem; a celebrata autem Missa Praesantificatorum ad Missam Sabbati Sancti, in aliqua remotiore et secretiore cappella ecclesiae, ibique lampas accensa maneat. Si autem nullus, praeter *Sepulcri* sacellum, locus aptus habeatur, pyxis in ipso sepulcro usque ad Sabbatum Sanctum remaneat. Lampas ante sepulcrum accendatur, extinctis ceteris luminibus, iis etiam sublatis quae ad ipsius ornatum fuerunt apposita.

4-o Quod si in aliqua ecclesia Coenae Domini sollemnia non habeantur, sacra pyxis suo in altari servari poterit usque ad solis occasum ejusdem Ferae V; posthac usque ad Sabbatum Sanctum, in aliquo ex supra indicatis locis erit collocanda.

552. —“Ecclesiae in quibus sanctissima Eucharistia asservatur, praesertim paroeciales, quotidie per aliquot saltem horas fidelibus pateant.”¹

Quapropter, reprobantes illum abusum, quo fit ut ecclesiae, post celebrata matutina officia, clausae maneant per integrum diem; volumus ut singulae ecclesiae in quibus Sanctissimum Sacramentum asservatur, a mane usque ad meridiem, et ab hora secunda pomeridiana usque ad *Ave* serotinum, sub aeditui tamen vel alterius custodis vigilantia, apertae remaneant."

553. —Q uo magis inter fideles nostrae regionis cultus erga Augustissimum Eucharistiae Sacramentum augeatur, mandamus cum Cone. Manii. I num. 443, ut tam in omnibus ecclesiis cathedralibus et paroecialibus, quam in oratoriis collegiorum piarumque domorum, diebus dominicis et festis, brevis functio eucharistica habeatur hora quae magis congrua videatur.

554. —Supplicatio Quadraginta Horarum, a canone 1275 Codicis juris canonici praescripta, apud nos peragi valet eo ritu, quo dioeceses Americae Septentrionalis ex Apostolica concessione utuntur, videlicet: ^{1 2}

¹ Can. 1266.

² Can. Manii. I, n.

1.0 Sanctissimum Sacramentum publicae adorationi per triduum, in forma Quadraginta Horarum, exponi potest horis diurnis tantum, a mane usque ad vesperam, quamvis noctu expositio interrumpatur.

2.0 Processionem omittere licet, si neque intra ambitum ecclesiae commode fieri valeat, prudenti parochi aut rectoris iudicio.

3.0 Fideles utriusque sexus, qui ecclesiam in qua memorata expositio (quam vocant) *ad instar* habetur, devote visitaverint et, corde saltem contrito, quinquies *Pater, Ave* et *Gloria* inibi recitaverint, ac praeterea semel has easdem preces ad mentem Summi Pontificis iteraverint, Indulgentiam partialem quindecim annorum *toties quoties*, expositione durante, lucrari queunt.

4.0 Omnes fideles, qui eandem visitationem peregerint, easdemque preces recitaverint, additis sacramentali confessione et sacra Communionem, Indulgentiam plenariam *semel in die*, singulis expositionis diebus, consequi valent.

5.0 Omnia et singula altaria illius ecclesiae, in qua expositio Quadraginta Horarum in forma *ad instar* fit, sunt privilegiata, durante expositione.¹

555.—Praeterea in nostris regionibus satis est ut memorata expositio Quadraginta Horarum *ad instar* habeatur in omnibus ecclesiis et oratoriis publicis, alternis vicibus, semel vel bis quotannis, prout ab Ordinariis satius in Domino visum fuerit.

Sicubi autem, ob peculiaria rerum adjuncta, neque id fieri valeat absque gravi incommodo et cum reverentia tanto Sacramento debita, curet loci Ordinarius ut saltem per aliquot con-

¹ S. Pius X, 11 Febr. 1910, ad X; S. Poenit. Apost., 24 Jul. 1933.

tinuas horas, statis diebus, Sanctissimum Sacramentum sollemniori ritu exponatur.

Caput IV.

De cultu Spiritus Sancti et Sacratissimi Cordis Jesu.

556. —Sanctissimus Dominus Leo Papa XIII, in Litteris Encyclicis *Divinum illud munus* diei 9 Maji 1897, decrevit et mandavit “ut per orbem catholicum universum, hoc anno itemque annis in perpetuum consequentibus, supplicatio novendialis ante Pentecosten in omnibus curialibus templis, et, si Ordinarii locorum utile judicarint, in aliis etiam templis sacra-riisve fiat”.

Singulis igitur annis curandum est ut, in ecclesiis saltem cathedralibus et paroecialibus, preces praescriptae effundantur in honorem Spiritus Sancti, ad impetrandam pro omnibus christianis fidei unitatem et cordium caritatem.

557 .—In votis nobis etiam est ut, saltem in ecclesiis paroecialibus, octo dierum celebritas quotannis habeatur a die 18 usque ad diem 25 mensis Januarii inclusi ve, ad preces approbatas in communi fundendas pro errantium et infidelium unione cum Ecclesia catholica.

558. —Festum Sacratissimi Cordis Jesu, majore qua fieri potest sollemnitate, quotannis recolendum est in singulis ecclesiis, praesertim paroecialibus; et quidem ita ut omnes christiani alliciantur ad amantissimum Cor Jesu, in tanta temporum iniquitate, non modo neglectu, sed injuriis et nequioribus ausibus lacessitum, supplici atque humili obsecratione leniendum.

Volumus autem ut idem festum singulis annis celebretur die ab ipso Domino Nostro designato, “feria scilicet sexta post

octavam Corporis Christi”; atque juxta Encycl. Pii XI *Miserentissimus Redemptor* diei 8 Maji 1928, decernimus ac mandamus ut in eadem feria sexta, in omnibus praedictis templis paroecialibus, necnon in illis in quibus idem festum agatur, coram Sanctissimo Sacramento publicae exposito adorationi, sollemniter recitetur precatio piacularis praescripta seu protestatio, qua et culpaestrae defleantur omnes et jura Christi summi Regis ac Domini amantissimi violata resarciantur.

559.—Peroptamus insuper ut in omnibus ecclesiis paroecialibus et aliis, in quibus commode fieri possit, singulis feriis sextis, quae primae unoquoque mense occurrunt, peculiare pietatis exercitationes in honorem Divini Cordis, de licentia Ordinarii, saltem mane peragantur, addita Missa votiva privilegiata Ssmi. Cordis Jesu quoties a rubricis permittatur.

560 .—Sanctissimus Dominus noster Pius Papa XI, per Litteras Encyclicas *Quas primas* diei 11 Decembris 1925, festum Domini nostri Jesu Christi Regis constituit, quotannis, postremo mensis Octobris dominico die, qui scilicet Omnium Sanctorum celebritatem proxime antecedit, ubique terrarum agendum.

Ordinarius est curare ut huic annuae celebritati praemittantur statis diebus, in singulis paroeciis, contiones ad populum, quibus is de rei natura, significatione et momento accurate erudiatur; atque efficere ut Divino Regi, non modo clerus litando ac psallendo officia praestet sua, sed etiam populus, ab usitatis occupationibus vacuus, in spiritu sanctae laetitiae, obedientiae et servitutis suae praeclearum Christo testimonium det.

In eodem festo Domini nostri Jesu Christi Regis, quotannis renovanda est generis humani Consecratio Sacratissimo

Cordi Jesu, adhibita formula die 17 Octobris 1925 ad Ordinarios transmissa, ac recitandae pariter sunt Litaniae de Sacro Corde Jesu.¹

561. —Ad magis denique fovendam pietatem fidelium, et ad renovandos quotannis omnium nostrum grati animi sensus in Omnipotentem Deum, qui gentem Philippinam in sinum Ecclesiae Catholicae jamdudum misericors recepit, dies versus finem cujuslibet anni determinetur, qua per singulas dioeceses Missa votiva *pro gratiarum actione* ritu permittente celebretur, cum sollemni cantu hymni Ambrosiani, ad debitas Deo reddendas gratias pro Sancto Evangelio nobis olim annuntiato, de quo et hodie feliciter gloriamur."

Caput V.

De cultu Beatae Mariae Virginis.

562. —Beata Maria Virgo sub titulo Immaculatae Conceptionis jamdiu agnita ut principalis harum Insularum Patrona, atque a Concilio Provinciali Manilano I anno 1907 pluries vocata "Philippinae gentis Patrona inelyta, principalis et universalis", denuo a Sanctissimo Domino nostro Pio Papa XII confirmata est ut "primaria et universalis Patrona Insularum Philippinarum"/

Hortamur igitur omnes fideles, ut, firma fide et laetanti corde confitentes Beatam Mariam "in primo instanti suae conceptionis ab omni originalis culpae labe praeservatam immu- nem", ipsius Immaculatae Conceptionis festum quam solem-^{1 2 3}

¹ S. C. Rit., 28 Apr. 1926.

² Cone. Manii. I, n. 456.

³ Cfr. Litt. Apost. *Impositi Nobis*, 12 Sept. 1942 (Acta Apost. Sedis XXXIV, pag. 336).

nissime recolant, et probatas erga tantum mysterium pietatis exercitationes peragant.

563.—Ad devotionem erga Immaculatam Reginam in dies propagandam et augendam:

1.0 Volumus ut in ecclesiis cathedralibus et paroecialibus, recurrente singulis annis festo ejusdem Patronae ac rite convocatis clero et populo, solemniter recitetur Consecratio Insularum Philippinarum Beatae Virgini Mariae Immaculatae, juxta formulam approbatam in Appendice relatam.

2.0 Omnibus in his regionibus commorantibus licet, in Litiis Lauretanis publice aut privatim recitandis, addere invocationem *Mater immaculata*, immediate post invocationem *Mater intemerata*.

564.—Probe noscentes instituta missionaria una cum christianis legibus moribusque civilibus e Novae Hispaniae regionibus ad Philippinas Insulas devenisse, suppliciter a Sancta Sede petivimus ut Beata Virgo Maria sub titulo *de Guadalupe*, magna veneratione cultuque habita in Mexicana Basilica, harum quoque Insularum caelestis apud Deum Patrona declararetur.

Cumque his votis Summus Pontifex Pius XI benigne die 16 Julii 1935 annisset, parochis ac sacerdotibus nostris commendamus ut fideles sibi commissos data opportunitate certiores reddant de intima nostra relatione cum memorata Beatae Mariae Virginis effigie, eosque excitent ad opem tantae Matris fidenter implorandam.

565.—Ad cultum Deiparae Virginis Mariae promovendum, Concilium enixe commendat: ¹

¹ Cfr. Breve CLEMENTIS XIII *Eximia pietas*, 14 Mart. 1767.

1.0 Ut promoveatur quotidiana sanctissimi rosarii recitatio, non tantum privatim, sed et in communi, juxta priscum ab Evangelii praeconibus indiscriminatim inductum morem, in unaquaque familia persolvenda;

2.0 Ut fideles, per sonitum campanae, quotidie invitentur mane, vespere et meridie ad recitationem *Angelus* vel *Regina caeli*;

3.0 Ut juxta antiquissimam consuetudinem apud nos vigentem, singulis anni sabbatis non impeditis Festo duplici primae classis, cantetur Missa votiva de B. Maria Virgine temporis propria;

4.0 Ut servetur, et in dies augeatur, consuetudo canendi in ecclesiis, singulis anni sabbatis, *Salve Regina* cum suo versiculo et oratione prout in *Manuali parochorum* prostat;

5.0 Ut mense Majo pium exercitium *Flores de Maria* appellatum devote celebretur;

6.0 Ut in singulis ecclesiis sive cathedralibus sive paroeialibus, necnon in oratoriis sive cappellis domorum religiosarum, in quibus pueri vel puellae educantur, majore qua fieri poterit devotione et sollemnitate, mensis Octobris celebretur ac debitae gratiarum actiones praecelsae Reginae reddantur pro parta victoria *La Naval*, e qua innumera in Philippinum populum bona dimanarunt.

566 .—Cultus Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis, itemque consecratio tam personarum quam populorum eidem Cordi Immaculato, quam maxime commendatur juxta optata Summi Pontificis Pii XII.

Immo Patres mira consensione exoptant ut, circa finem celebrationis hujus Concilii Plenarii, universae Insulae Philippinae cum suis dioecesibus, Episcopis, clero et populo, solem-

niter atque in perpetuum eidem Purissimo Cordi devoveantur et consecrentur.

Caput VI.

De cultu Sanctorum et imaginum.

567.—Praecipuo honore recolatur memoria Sancti Joseph, Universalis Ecclesiae Patroni, ejusque patrocinium invocetur praesertim mense Martio, aut quolibet anni tempore per pium exercitium Septem Dominicarum.

Impepete item foveatur cultus Sacrae Familiae et studiose promoveatur praxis eidem familias catholicas arctiore pietatis vinculo devinciendi, ut Jesus, Maria, Joseph familias sibi deditas, tamquam rem propriam, appime tueantur et foveant.

568.—Promoveatur studiose, maxime in collegiis puerorum ac puellarum, cultus Angelorum Custodum, ut his reverentiam pro praesentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia fideles perseveranter exhibeant.

Item specialiter colantur Sancti Patroni uniuscujusque loci et titulares propriae ecclesiae.

569.—Parochi ac ecclesiarum rectores caveant diligenter ne cultus Sanctis praestitus, in eorum festis celebrandis et altaribus ornandis, detrimentum afferat honori qui soli Deo debetur.

570.—“Ordinarius loci sacras imagines publice ad fidelium venerationem exponendas ne approbet, quae cum probato Ecclesiae usu non congruant.”¹ Sic exempli gratia:

i.o Spiritus Sanctus nequit sub forma humana repraesentari sive cum Patre et Filio sive seorsim.”^{1 2}

¹ Can. 1279 § 2.

² S. C. S. Off., 16 Mart.

2.0 Imago Cordis Jesu absque reliquo Corpore, permittitur ex devotione privata, sed non est in altaribus publice exponenda.¹

3.0 Reprobata est imago B. Mariae Virginis vestibus sacerdotalibus indutae/

4.0 Damnatae sunt imagines sacrae, quae insuetis formis horrorem quemdam pariunt et sensus violenter commovent.^{1 2 3}

571. —Reprobamus eas imagines ac formas, recens a nonnullis inductas, quae sanae artis deformationes depravationesque videntur, quaeque etiam nonnunquam decori, modestiae ac pietati christianae aperte repugnant, sensumque vere religiosum misere offendunt; hae quidem a nostris templis prorsus arcendae atque expellendae sunt.⁴

572. —Statua, repraesentans Dominum nostrum Jesum Christum detecto Corde, collocari potest in altari ubi permanenter custoditur Sanctissima Eucharistia, non tamen supra tabernaculum, sed retro apud parietem, vel in aedicula facta in pariete apud quem exstat idem altare, juxta prudens Ordinarii judicium.⁵

573. —Imagines Christi Domini, Deiparae Virginis aliorumque Caelitum, praestanti, non vero abjecta sint forma. Ruri subinde inveniuntur imagines valde deformes et indecorae, interdum etiam ridiculae, quas prudenter remove oportet, maxime ubi earumdem veneratio aliqua superstitione infecta appareat. Quod tamen ne fiat, nisi consulto Episcopo,

¹ S. C. S. Off., 26 Aug. 1891.

² S. C. S. Off., 8 Apr. 1916.

³ S. C. S. Off., 30 Mart. 1921.

⁴ Pius XII, *Encycl. Mediator Dei*, 20 Nov. 1947.

⁵ S. C. Rit., 23 Apr. 1926.

omnique prudentia procedatur, ne rudibus aut malevolis praetextus turbis excitandis praebeatur.¹

574 .—Sanctorum imagines, quas in posterum arte sive pictoris sive sculptoris effingere contingat, ita sint instructae, ut eas vestibus indui non oporteat. Quae vero hactenus confectae fuerint, vestes induendas proprias habeant, ad alterius imaginis ornatum nunquam adhibendas; nec unquam toleretur, ut una eademque imago, mutatis vestibus, diversas invocationes diversosque sanctos repraesentet.²

575 .—In sacris imaginibus, sicut Sancti, cujus imago exprimenda est, similitudo referri debet, quoad ejus fieri potest; ita cautum sit, ut ne alterius hominis viventis vel mortui effigies de industria repraesentetur.³

576 .—Ne exponantur in ecclesiis vel oratoriis imagines sacrae absque diademate sic dicto *aureola*, quod est signum sanctitatis; neque ad publicam fidelium venerationem adhibeantur imagines vivae, seu adolescentes repraesentantes personam alicujus Sancti canonizati. Tolerari tamen potest pia consuetudo, in nonnullis regionibus ab antiquissimis temporibus vigens, qua, intra Hebdomadam Majorem, vivide repraesentantur scenae tum Coenae Domini et lotionis pedum Apostolorum, tum apparitionis Christi resuscitati Matri suae amantissimae.

577 .—Concilium reprobatur intolerabilem abusum, quo nonnullae imagines celebriores Domini aut Sanctorum pluribus manibus vel pedibus movibilibus ditantur eo fine ut, binis manibus et pedibus penes ipsam imaginem in ecclesia manen-

¹ Cone. Manii. I, n. 478.

² Cone. Manii. I, n. 479.

³ Cone. Manii. I, n. 484.

tibus, reliqui ad infirmos deferantur sanitatis restituendae ac eleemosynae colligendae causa.

Tamquam abusum pariter damnat morem illarum paroeciarum, in quibus statim post concionem vespertinam Feriae VI in Parasceve, sacerdote praeunte ac universo populo spectante, dramatice repraesentatur exanimis Christi corporis e cruce depositio.

Caput VII.

De processionibus et piis peregrinationibus.

578. —Sedulo curandum est ut sacrae processiones sive ordinariae sive extraordinariae, maxime quae in honorem B. Mariae Virginis mense Majo peraguntur, ea semper modestia ac reverentia fiant ut, remoto risu, mutuoque colloquio et vago oculorum aspectu, populum ad pie devoteque precandum invitent.¹

579. —Quoties ab Ordinario loci permittatur publica expositio Sanctissimi Sacramenti, subintelligitur concessa facultas cum Eodem processionem intra ecclesiam instituendi; nullo autem modo extra ipsam, absque Episcopi expresso consensu.

580. —Processio Sanctissimi Sacramenti, in festo Domini nostri Jesu Christi Regis, per vias et loca publica decenter ornata, majore qua fieri poterit sollemnitate, peragatur, duce clero atque adstantibus praesertim viris.

581. —Non licet nec expedit in processionibus, super currum triumphalem et exornatum equis tractum deferre Sanctissimum Sacramentum vel statuas Beatae Virginis Mariae vel

¹ *Rit. Rom.* y tit. IX, cap. 1, n. 3.

Sanctorum exuvias, etsi processio iter nimis longum percurrere debeat, et quamvis agatur de eventu aliquo extraordinariae solemnitatis. Nec currui equis tracto potest substitui vehiculum quod vulgo *automobile* audit.¹

582, —Ordinatio, tempus durationis et itinerarium processionum ad auctoritatem ecclesiasticam spectat.

Curent autem sacerdotes populum opportuno tempore instruere de silentio in processionibus servando, de precibus recitandis, de hymnis concinendis, de incesso gravi, ordinato et devoto in eis gerendo.

583 .—In peregrinationibus fidelium ad celebriora sanctuaria parandis et peragendis, serventur normae a S. Congregatione Concilii die II Februarii 1936 datae, videlicet:

1.0 Piae hujusmodi peregrinationes characterem vere religiosum semper praeseferant, atque ab itineribus ob merum solatii finem susceptis probe distinguantur.

2.0 Jus pias peregrinationes promovendi easque moderandi, ad legitimam auctoritatem ecclesiasticam unice spectat.

3.0 Ejusdem auctoritatis ecclesiasticae erit curare ut quaevis pia peregrinatio pareatur et ducatur sub moderamine delectorum virorum; nec unquam desit vir ecclesiasticus qui munere fungatur moderatoris spiritualis.

4.0 In pretiis statuendis, ab his moderatoribus ea ratio servetur ut piae peregrinationes fidelibus quoque tenuioris conditionis patere possint.

5.0 In iis quae spectant harum peregrinationum apparatus technicum, ne se immisceant hi qui de clero sive saeculari sive religioso sunt, cum ea dignitatem ecclesiasticam minus deceant. Committendum igitur erit hoc munus viris laicis, pro-

¹ S. C. Rit., 28 Oct. 1922.

bis et peritis; a quibus id omnino exigatur ut, in iisdem instruendis, nihil sit quod earum fini religioso dissentiat, quin immo omnia pietati christianae congruant eamque foveant.

Caput VIII.

De musica sacra.

584 .—In omnibus Seminariis adsit magister cantus gregoriani et polyphonici, qui inde a scholis inferioribus alumnos frequenter, et si fieri possit quotidie, musicam sacram edoceat,, eosque praeparet ad functiones chori et altaris rite obeundas.

585 .—Clerici omnes summo studio cantum liturgicum et addiscere et rite exsequi nitantur.

Parochi autem a sacris functionibus, praesertim a Missis,, amovere curent eos cantus qui ad libitum cujusque multoties adhibentur, quique in libris liturgicis non inveniuntur et decretis Sanctae Sedis ceu corruptelae reprobantur.

Iidem parochi in suis ecclesiis populum, maxime autem pueros ac juvenes, in cantu liturgico opportune instruant, ut populus activam in divinis officiis partem habere assuefiat.

586 .—Consociationes catholicae, ac nominatim juvenes; Actionis Catholicae, pro viribus studeant cantus liturgici notiones acquirere, ut possint omnes in ecclesia canere Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus, Agnus Dei, Pange lingua et cetera hujusmodi.

587 .—Circa cantum mulierum in ecclesia, Concilium ad mentem legum liturgicarum has normas in praxi servandas statuit: ¹

¹ Pius XI, Const. *Divini cultus*, 20 Dec. 1928; S. C. de Semin., 15 Aug. 1949.

1.0 Mulieres a psallendo in choro arceantur, nisi agatur de religiosis et puellis in convictor iis degentibus, vel de ecclesiis ubi viri cantores haberi nequeant et haec vel alia gravis causa sit ab Ordinario loci probata.

2.0 Vetantur etiam mulieres viris coadunatae choros mixtos agere; permittitur tamen ut feminae cum reliquo populo canant.

3.0 Numquam mulier ulla sola partem psallat cantu non gregoriano, nisi aut lingua latina canat, aut agatur de festis quae in ecclesiis vel sacellis religiosarum celebrantur.

588.—In Missis cantatis nulla omittatur pars quae secundum liturgicas leges cani debet, quamvis Missa sine ministris sacris, id est, a solo sacerdote celebretur.

589.—Inter Missarum sollemnia, seu in Missis sive cum sacris ministris sive ab uno tantum sacerdote cantatis, latina tantum lingua canere licet; omnino autem prohibentur cantus *vulgari* eloquio editi, idque etiam post rite cantatum Missae Offertorium, atque dum sacra Communio fidelibus per notabile tempus distribuitur.

In Missis privatis seu lectis adhiberi possunt cantus in lingua latina, et, de consensu Ordinarii aut ex legitima consuetudine, etiam in lingua vernacula vel vulgari.

In aliis functionibus, hymni liturgici latine sunt semper canendi; misceri autem possunt alii cantus sermone vernaculo compositi, atque expedit ut fideles eos decantent, dummodo littera textus pia et sensui dogmatico conformis sit.

590.—Quamvis musica Ecclesiae propria solummodo vocalis sit, licet tamen musicam *organo* aut instrumento *armo-*¹

¹ S. Pius X, Motu Proprio 22 Nov. 1903; S. C. Rit., 27 Febr. 1882, 14 Jan. 1898, 31 Mart. 1909, etc.

nium moderari; sed alia musica instrumenta adhiberi nequeunt, absque speciali venia Ordinarii.

Intra templi aut oratorii ambitum, vetatur usus instrumenti, cui vulgo nomen *piano* inditum est; atque severe prohibetur sonitus instrumentorum omnium majorem vel minorem strepitum edentium, ac nominatim id quod vulgo *banda de musica* dicitur.

In pompis extra templum habendis, ut in processionibus, ab Ordinario permitti potest symphonicorum catervae seu *banda* participatio, dummodo ne quovis modo profanos psallat concentus, atque ex solis musicis viris coalescat.

591 .—Sedulo curandum est ut musica instrumenta nullo modo cantantium vocem opprimant et sepeliant, sed eandem corroborent ac sustineant, atque vim verborum cantui adjiciant, ut magis magisque audientium mentibus eorum sensus infigatur, commoveanturque fidelium animi ad spiritualium rerum contemplationem, et erga Deum ac divinarum rerum amorem incitentur.¹

592. —In Missis cantatis ad elevationem, et in functionibus liturgicis, in actu benedictionis cum Sanctissimo Sacramento, organa sive aliud instrumentum pulsare non licet; sed omnes omnino silere debent, tam intra ecclesiam, quam prope ipsam extra ejus ambitum, non obstante quacumque consuetudine contraria.

Consuetudo tamen pulsandi campanam trino ictu ad consecrationem Missae sollemnis approbatur.^{1 2}

¹ Cone. Manii. I, n.

² Cone. Manii. I, n.

Titulus IX.

DE MAGISTERIO ECCLESIASTICO.

Caput I.

De catechetica institutione.

Art. i. De Catechismo adhibendo.

593 .—Concilium Plenarium, exemplum sequens Patrum primi Concilii Provincialis Manilani, ac probe noscens incommoda non pauca quae ex multiplicitate textuum catechismi oriri solent, attenta praesertim facilitate qua fideles et integrae etiam familiae ex una ad aliam regionem transeunt, pro indubio habet textum unicum officialem esse adoptandum.

594 .—Quare Concilium confirmat Commissionem ab Episcopis jam constitutam ad textum officialem catechismi conficiendum, atque enixe commendat ut, elapsis quinque annis ab hujus Concilii promulgatione, ille textus, sub directione Exemi. Dni. Constantii Jurgens (bonae memoriae) inchoatus et magna ex parte jam apparatus, in omnibus scholis ubique adhibeatur. Fit tamen facultas libere interim servandi catechismos quoscumque in scholis hodie adhibitos.

595 .—Hujus Commissionis munus sit, pro universis Insulis Philippinis lingua anglica componere unum catechismi et communium precum textum, postea, ab eis quorum interest, in diversas linguas nostras vertendum.

Servandae erunt, in his variis catechismi versionibus, eadem partium divisio, eadem lectiones, ac eadem ratio singulas exponendi lectiones; facta tamen singulis Ordinariis potestate afferendi in appendice, eas immutationes aut additiones, quas utiles vel necessarias pro suo quisque territorio iudicabit.

Hoc pacto, Concilium jure sperat fore ut substantialis catechismorum uniformitas ubique vigeat, absque praejudicio varietatis ab unaquaque regione pro diversitate locorum ac circumstantiarum requisitae.

596.—Decalogus seu Dei mandata atque Ecclesiae praecepta, eodem semper modo, iisdemque verbis adhibitis, proponantur juxta exemplar heic subjunctum.

Decalogus seu Dei mandata:

Ego sum Dominus Deus tuus:

1. Non habebis deos alios coram me;
2. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum;
3. Memento ut dies festos sanctifices;
4. Honora patrem tuum et matrem tuam;
5. Non occides;
6. Non moechaberis;
7. Non furtum facies;
8. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium;
9. Non desiderabis uxorem proximi tui;
10. Non concupisces proximi tui bona.

Praecepta Ecclesiae:

1. Diebus dominicis aliisque festis de praecepto Missam audire et ab operibus vacare; ¹

¹ Cfr. GASPARRI, *Catechismus catholicus*, ed. 1933, pag. 23-24.

2. Diebus ab Ecclesia statutis ab esu carniū abstinere et jejunium servare;
3. Peccata saltem semel in anno confiteri, et Eucharistiae sacramentum tempore saltem paschali recipere;
4. Nostrae religionis necessitatibus subvenire;
5. Matrimonium cum persona acatholica, aut absque praesentia sacerdotis ac duorum testium, minime contrahere.

597 .—Ubi primum textus officialis rite approbatus ejusque vernaculae versiones in lucem edantur, universus clerus tam saecularis quam regularis, Sorores religiosae atque Christi fideles omnes, eo tantum catechismo uti officiali utantur in ecclesiis, necnon in collegiis et scholis tam publicis quam privatis.

598 .—Prudenter removeantur a fidelium manibus catechismi, a laicis praesertim conscripti, qui dictionem habeant cum castigatione doctrinalis integritatis parum conformem, itemque qui a textu officiali discrepent sive in orationibus communibus sive in praeceptis Decalogi aut Ecclesiae proponendis.

Alii catechismi majoris molis utiliter retineri possunt tamquam uberiores explanationes doctrinae christianae, sed expedit ut eorum usus non permittatur nisi iis qui textum officialem ejusve accuratam versionem rite jam didicerint.

**4r/. 2. De catechistis.*

599 .—Praeter ea quae in decr. 253 statuuntur, erigatur quamprimum in omnibus paroeciis ubi nondum erectum fuerit sodalitiū doctrinae christianae, omnes quot sunt idonei catechismo edocendo et fovendo complectens, ludimagistros in primis, puerorum erudiendorum disciplinam callentes.

600. —Clerici omnes, in paroeciae territorio degentes nulloque legitimo impedimento detenti, proprio parochi in catechetica praesertim puerorum institutione adjuutores sunt, etiam sub poenis ab Ordinario infligendis.

In singulis districtibus seu vicariatibus foraneis, vel saltem in civitate episcopali, instituta catechetica tempore aestivarum vacationum condantur ad utriusque sexus aptos catechistas efformandos.

601. —Ad normam can. 1334 Concilium invitat et hortatur religiosos etiam exemptos ut doctrinam christianam populo tradant, praesertim in propriis ecclesiis; atque sorores Congregationum religiosarum allicit earumque zelum excitat, ut idipsum praestent in ecclesiis paroecialibus, scholis aliisque locis, pro prudenti Ordinarii loci iudicio.

Praeterea Concilium vehementer exoptat ut Superiores communitatum religiosarum utriusque sexus, earum maxime quae educationi juventutis praecipue incumbunt, quosdam e suis subditis ad catechismum in scholis publicis docendum assignent.

602. —Parochi in religiosa puerorum institutione operam adhibeant, non tantum clericorum in paroeciae territorio degentium, sed etiam piorum laicorum qui pio sodalicio doctrinae christianae aliisque piis associationibus, maxime Actioni Catholicae, adscripti sint.

603. —Sodales Actionis Catholicae et cujuslibet alius pie associationis, sciant se prae ceteris fidelibus teneri parochi illi catechesi puerorum libenter praestare operam.

604. —Parochis eorumque adiutoribus, magistris aliisque ad quos pertinet, commendamus ut catechismi expositio non

sine praevia praeparatione super rebus ea vice tractandis suscipiatur; eaque fiat in simplicitate sermonis, stylo et eloquio, quamvis accurato et non inamoeno, perspicuo tamen et facili, atque captivum plebis tum puerorum accommodato.

Quoties vero sese offerat opportunitas, obiter inducat catechista in animum audientium motiva infinitae in nos bonitatis divinae et amoris Christi Jesu, atque ea omnia paulatim in fidelium cordibus inserat, quae eos ad amorem et timorem Dei adducere possunt.¹

Art. 5. De catechetica puerorum institutione.

605 .—Moneantur parentes eorumque locum tenentes, necnon heri ac patrini, de gravissima obligatione qua adstringuntur curandi ut omnes pueri ac puellae sibi subjecti vel commendati catechetica institutione erudiantur."

Ante initium cujuslibet anni scholastici fidelibus, praesertim autem parentibus et tutoribus inculcetur, ne omittant adjutricem operam pro viribus conferre in catholicas scholas sustentandas.

606 .—Parochi, vicarii oeconomi et sacerdotes omnes, quibus animarum cura quovis modo aut ratione incumbit, tenentur media excogitare ac suis rebus prospicere ut catechismus regulariter in proprio territorio doceatur, diebus dominicis aut aliis per hebdomadam diebus aptioribus, tam in ecclesia paroeciali, quam in vicis aut pagis dissitis, in quibus pueri et puellae commode conveniri possint.

607 .—Eadem obligatione catechesim tradendi adstringuntur:^{1 2}

¹ Cone. Manii. I, n. 854.

² Can. 1335.

1.0 Rectores ecclesiarum a paroeciali jurisdictione ad normam decr. 176 et seqq. quadamtenus exemptarum, in quarum hospitio, quocumque vocetur nomine, pueri aut puellae excipiuntur;

2.0 Cappellani seu rectores ecclesiarum scholas habentium adnexas, quarum alumni, cujusvis sexus, Sacrum diebus dominicis ac festis de praecepto audiunt in proprio oratorio, nisi illi ad paroeciam deducantur ut catechesi intersint.

608 .—Omni studio nitantur animarum curatores ut catechismo pariter excolantur pueri ac puellae, qui publicas gubernii scholas frequentant, necnon adolescentes qui, in magnis praesertim civitatibus, apud amicos studiorum causa in hospitiiis seu dormitoriis diversantur; adhibitis in hunc finem omnibus mediis legalibus jure civili recognitis, ac sedulo servata benevolentia magistrorum et aliorum quorum favore in hoc ministerio juvari poterunt.

609 .—Catechismus lingua eorum propria seu vulgari tradendus est pueris et puellis, qui in scholis primariis instituuntur, aut vix ullam alienae linguae notitiam habent. Iis autem, qui medias vel superiores scholas frequentant, lingua anglica ut plurimum tradatur, nisi peculiaria adjuncta aliud in casibus particularibus suadeant.

610 .—Totis viribus parochi curionesque contendant ut pueri ad catechismum frequentandum alacri animo allidantur iis mediis quae aptiora videantur; v. gr. pro pueris Missam singulis diebus festis de praecepto celebrando, certamina catechistica propositis praemiis indicendo, moderata et honesta oblectamenta atque industrias adhibendo, etc.¹

¹ S. C. Cone., 12 Jan. 1935.

611, —Ad normam decreti S. Congregationis Concilii 12 Jan. 1935, in quavis dioecesi, ubi nondum constitutum fuerit, instituat^r Officium catechisticum dioecesanum, ex iis sacerdotibus qui huic gravissimo muneri aptiores videantur coalescens, quodque, ipsis Ordinariis locorum praesidibus, totam rem catechisticam in dioecesi moderetur.

612. —Idoneos quoque singulis annis *Sacerdotes visitatores* eligere Ordinarii ne omittant, omnes in dioecesi scholas de religione inspecturos, qui de religiosae institutionis in iisdem traditae exitu, incrementis vel defectibus accurate referant.

613 .—Ut autem in religiosam institutionem populus christianus interdum animum praecipue convertat, *Dies catechistica*, si nondum in usu sit, in singulis paroeciis instituenda curetur, in qua festum doctrinae christianae, majore qua fieri potest solemnitate, celebretur.

Episcopi singulis quinquenniis ad S. Congregationem Concilii accurate referant de catechetica fidelium in suis dioecesibus institutione.

Caput II.

De sacris concionibus.

Art. 1. De sacra homilia et catechesi adulatorum.

614 .—Meminerint parochi se, ad normam can. 1332 et 1344, debere insuper, diebus dominicis ceterisque per annum festis de praecepto:

1.0 Catechismum fidelibus adultis, sermone ad eorum captum accommodato, explicare ea hora quae suo iudicio magis apta sit ad populi frequentiam;

2.0 Consueta homilia, praesertim intra Missam in qua major soleat esse populi frequentia, verbum Dei populo nuntiare.

615. —Cum institutio catechetica adutorum debeat esse distincta a catechesi puerorum, cumque major pars fidelium nostrarum paroeciarum nonnisi ad Missam diebus festis audiendam congregari soleat, Concilium, spirituali eorum pabulo providere cupiens, enixe omnibus commendat et, quatenus opus sit, praecipit:

1.0 Ut in ecclesiis vel oratoriis publicis in quibus duae aut plures Missae diebus dominicis ac festis celebrentur, brevis Evangelii aut alicujus partis doctrinae christianae explanatio, alternis vicibus, fiat in singulis eorum dierum Missis fixis;

2.0 Ut in locis ubi una tantum Missa diebus festis de praecepto celebretur, catechismus ita adultis tradatur ut simul Evangelii explicatio habeatur;

3.0 Ut hujusmodi Evangelii vel catechismi expositio, breviter seu intra quartam horae partem ad summum fiat.

4.0 Eisdem normas sequantur religiosi licet exempti in suis ipsorum ecclesiis, juxta ea quae in can. 1345 statuuntur.

616. —In adutorum catechesi, “catechismo Tridentino utantur sacerdotes, eo utique ordine ut quadriennii vel quinquennii spatio totam materiam pertractent quae de symbolo est, de sacramentis, de decalogo, de oratione et de praeceptis Ecclesiae, itemque de consiliis evangelicis, de gratia, de virtutibus, de peccatis et de novissimis”.

617. —In sacra homilia habenda, post lectionem Evangelii in lingua vulgari, etsi formaliter non condonentur, pro sua

tamen et auditorum capacitate, habeant brevem facilemque sermonem, in quo, vel explicent Evangelium quod lectum fuerit, vel doceant quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiando eis vitia quae eos declinare et virtutes quas sectari oporteat, ut poenam aeternam evadere et caelestem gloriam consequi valeant.¹

618. —Sacerdotes omnes sedulo incumbant praeparationi tum sacrae homiliae tum explanationis doctrinae christianae, ut populus fidelis rite edoceatur; atque, unice quaerentes bonum animarum, quaerelas etiam indirectas et subobscuras adversus particulares personas ne hac occasione proferant, neque mentionem aut allusionem ullam indolis politicae faciant, maxime in iis quae ad factiones politicas loci aut ad negotia administrativa vel mere civilia ejusdem regionis spectant.

619 .—Qui duas paroecias regunt, in utraque homiliam atque catechesim tam pro adultis quam pro pueris habere curent.

Ne tamen nimio labore graventur, si omnia per seipsos praestare debent, permittitur illis intra Missam, alterna vice, Evangelium in una paroecia exponere atque in alia christianam doctrinam adultis explanare, relicta catechesi puerorum selectis catechistis debita praeparatione dispositis.

620.—Atque ne ulla dominici gregis pars in ignorantia eorum quae omnes scire debent, cum evidenti aeternae salutis periculo derelinquatur, volumus ut sacerdotes qui in ecclesiis vel oratoriis ruralibus diebus festis Sacrum peragunt, Evangelium pariter explicent atque partem aliquam doctrinae christianae, saltem per aptos fidelesque catechistas, populo ibidem coadunato declarent.

¹ Cone. Manii. 1, n. 307.

In iis vero remotis pagis, ubi et parochus vel missionarius deest, et quo alius sacerdos quacumque de causa habitualiter non accedit ad Missam festivam celebrandam, pro viribus curandum est ut, per idoneas personas praevis designatas, saltem ea quae ad salutem sunt necessaria, id est, praecipua doctrinae christianae capita, populo opportune congregato legantur diebus festis aut alio aptiori tempore.

621 .—Concilium prohibet quominus ea hora, qua catechesis pueris vel adultis in ecclesia aut oratorio traditur, quaevis religiosa functio in eodem loco celebretur vel actus cultus cum catechesi incompatibilis ibidem habeatur.

Art. 2. De concionibus proprie dictis.

622,—“Sacerdotes extradioecesani sive saeculares sive religiosi ad concionandum ne invitentur, nisi prius licentia ab Ordinario loci, in quo concio habenda sit, obtenta fuerit; hic autem, nisi eorum idoneitatem aliunde compertam habeat, licentiam ne concedat, nisi prius bonum testimonium super concionatoris doctrina, pietate, moribus, a proprio ejusdem Ordinario habuerit; qui, graviter onerata conscientia, secundum veritatem respondere tenetur.”¹

Licentiam tempestive petere debet parochus vel rector ecclesiae aut cappellanus religiosarum, in cujus ecclesia vel oratorio concio habenda est; neque facile attendatur petitio a laicis facta.

623 .—Araumenta concionum sint essentialiter sacra.

Quod si condonator alia argumenta tractare voluerit non stricte sacra, domui tamen Dei convenientia, facultatem ab Ordinario loci petere et obtinere debet; qui quidem Ordinarius eam ³

³ Can. 1341 § 1.

nunquam concedat, nisi re mature considerata ej usque necessitate perspecta.

Quae in praecedenti paragrapho statuuntur, valent etiam de orationibus quas *conferentias* vocant.¹

624 .—Orationes panegyricae in scopum moralem praecipue dirigantur “ut imitari non pigeat quod celebrare delectat”.

Elogia funebria nemini recitare fas esto, nisi praevio et explicito consensu Ordinarii; qui quidem, antequam consensum praebet, poterit etiam exigere ut sibi manuscriptum exhibeatur.

Sermocinaturus autem, Missa finita et ante absolutionem, elogium dicet vestibus nigris indutus sine superpelliceo et sine stola.“

625 .—Condonator tam in ratiocinatione quam in linguae usu sese communi auditorum captui accommodet; quoad vero actionem ac recitationem, eam observet modestiam et gravitatem, quae illi convenit qui pro Christo legatione fungitur.

Attenta peculiari regionis nostrae conditione, brevitati, quantum res sinat, studeat sacer praeco verba ad populum faciens. Non enim opus est prolixiore sermone; quinimmo consultius si concio viginti, aut ad summum viginti quinque, horae momenta non excedat.³

Art. 5. De modo agendi cum haereticis.

626 •—Cum haereticorum vesania in dies propagetur, eorumque placita ab Ecclesia improbata in vulgus irrepant,³

³ Normae S. C. Consist.,
28 Jun. 1917.

² S. C. Rit., decr. num.

2000

praedicatorum inter alios est populo christiano praesto adesse, tantumque malum tamque pestiferum pro viribus arcere.¹

627. —In hoc tamen adimplendo munere maxima prudentia utantur oportet. Quocirca methodum, quam familiarem S. Franciscus Salesius habebat, iis in mentem revocamus.

Quum ipse coram haereticis condonaretur, omni adhibita cura ne quemquam illorum offenderet, quorum conversionem intendebat non confusionem, veracem exponebat doctrinam, validis firmans argumentis, quin tamen aperte ostenderet se contra haeresim dimicare. Res controversas attingens, adeo caute se gerebat, ut ne adversarii quidem suspicarentur sese sancti viri appeti sermonibus. Ea benigna ratione sacra dogmata ceterasque Religionis veritates exponebat, ut quo tempore eum unice intentum putares in veritatis ostendenda pulchritudine, suaque thesi comprobanda, adversariorum dilueret objectiones, quin de ipsis mentionem faceret, rationes tantum exhibens adeo firmas et inconcussas, ut erroris aedificium nullo niti fundamento auditores facili negotio perviderent. In eo tandem totus erat, ut qui audiverint, in affectus devotos ac teneros prorumperent, motivo utique desumpto ex argumento de quo sermonem habebat.

Ipsium enim saepius repetentem audire licebat: “Post triginta annos in praedicando a me absumptos, non didici nisi homines ad Deum converti, animis prius amore victis”.

628. —Ut pastoralis cura, Ordinariis locorum et parochis commendata a can. 1350 § 1, efficaciore modo erga acatholicos in his regionibus degentes exerceatur, sollertem et indefessam vigilantiam parochorum excitamus, eisdem injungentes ut:

¹ Cone. Manii. I, n. 846.

1.0 Si quem in paroecia invenerint aut non baptizatum, aut a christiana fide apostatam, aut sectae haereticae addictum, et contra catholicam fidem proselytismum quoquo modo exercentem, pro facultate satagant illi medelam congruam ministrare, et in casibus dubiis vel difficilioribus rem deferant ad proprium Episcopum ut tanto damno pro viribus occurrat;

2.0 Si noverint aliquem filios suos baptizari renuentem, aut ipsos a fide recedere conantem, eum, et de errore suo, et de apostasiae scelere, benevolentia pleni, admoneant; illorum propinquis et amicis alloquantur, ut ex eorum opera fructum percipiant; causas hujus recusationis aut defectionis inquirere et amovere sollicite studeant, et de omnibus Ordinarium loci certiore reddant.

629 .—“Caveant catholici ne disputationes vel collationes, publicas praesertim, cum acatholicis habeant, sine venia Sanctae Sedis aut, si casus urgeat, loci Ordinarii.”¹

Iis autem qui acrioris sunt ingenii enixe in Domino commendamus ut, prudenti zelo atque data occasione, errores refellere ac sanam doctrinam exponere enitantur, sive libros conscribendo, sive varia opuscula divulgando, sive libellos periodicos edendo aut commentaria catholica recensioibus scrip- tisve fovendo.

630 .—Caveant praeterea ne sua pecunia, assistentia aut cooperatione ullo modo faveant nosocomiis, dormitoriis aliisque operibus socialibus quae, sub praetextu relaxationis animi aliisque boni honesti procurandi, ab haereticis ad suas sectas disseminandas instituuntur.

¹ Can. 1325 § 3. S. C. S. Officii, 5 Junii 1858 (Acta Sanctae Seclis XL, pag. 257).

631. —Concilio Patres, pericula quae fidei donum in discrimen adducere solent a suis filiis amovere conantes, ipsis praeterea, quantum fieri potest, interdicut frequentem conversationem cum acatholicis, necnon cum aliis qui fidem catholicam, ritus et Sacramenta Ecclesiae, cultum Sanctorum et alios catholicae religionis usus irridere solent.

Patribus familias injungunt ne patiantur suos filios in scholis protestanticis institui, aut apud herum famulari qui fidem vel mores adoritur, aut religiosum cultum vel praeceptorum Ecclesiae observantiam eis impedit.

Omnibus denique commendant ut prudenter vitent consortium illorum qui de rebus catholicam religionem spectantibus maligne disserunt, sub fucato nomine progressus, scientiae, humanitatis et philanthropiae; aut qui de ipsis non recte sentiunt, licet in quibusdam adjunctis tamquam religiosi ab hominibus haberi exoptent.

Art. 4. De infidelium conversione procuranda.

632. —Cum in nostris regionibus plurimi adhuc in tenebris et in umbra mortis sedeant, atque ethnicorum numerus ad decies bis centena millia in his Insulis pertingat, nihil pro nostro officio antiquius habemus quam ut beneficia divinae Redemptionis cum eisdem communicemus. Probe autem scientes “ad amplexandam fidem catholicam neminem invitum cogi posse”,¹ sequentes pro praxi normas damus ad sacras Missiones provehendas.

633. —Ordinarii quorum territorium in statu missionis perseveret, sive juridice ob hierarchiam nondum ibi constitutam, sive saltem de facto ob ingentem numerum infidelium

¹ Can. 1351.

ibidem degentium, mature praevidere conentur quinam e sacerdotibus sibi subditis aptiores videantur ad munus missionarii gerendum, eosque opportune ad apostolatum praeparent prae oculis habitis normis a Benedicto Papa XV in epistola apostolica *Maximum illud* diei 30 Nov. 1919 traditis.

634 .—Qui ad Missiones inter infideles sunt destinati magni faciant munus sibi ab Episcopo aut a propriis Superioribus commissum, atque in officio gerendo his potissimum subsidiis utantur:

1.0 Persuasum . quisque habeat gentilium ac ipsorum maurorum conversionem possibilem esse, quum, teste Apostolo, sciamus “Deum velle omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire”.

2.0 Suorum laborum efficaciam, non in propria industria, sed in gratia Dei constituent; atque ideo, intime cum Eodem conjuncti, orationi instent ac preces pro ethnicorum salute fundere assuescant.

3.0 Nedum linguae, sed historiae quoque ac morum illarum gentium notitiam acquirant, ac methodum peculiarem eas evangelizandi sedulo addiscant.

635 .—Nihil obstat quominus opera caritatis, quorum finis primarius est miserorum inopiae opitulari, in favorem ethnicorum exercentur, dummodo haec prudenter ac sincera mente apostolica adhibeantur; caveri enim oportet ne infideles, his mediis allecti, baptismum absque vera voluntate petant, ac conversionem sine libertate requisita simulent, aut de baptizari christiana educatione nemo curam habeat.

Scholae pariter infidelibus destinatae condi a missionario possunt, tum ad erudiendos pueros ac puellas nondum bap-

tizatos, tum ad eorum benevolentiam conciliandam futuramve conversionem praeparandam, tum denique ad vitam cultiorem inter ipsos fovendam.

636. —Praecipuum autem medium fidei propagandae sit praedicatio verbi Dei, publice aut privatim facta ad paganos, juxta normas ab Ordinariis locorum pro suo cujusque territorio statutas.

Dei verbum per semetipsum praedicet missionarius, licet aliquando auxilio catechistarum et bonorum christianorum, uti queat. Non modo oblata sed quaesita occasione munus suum obeat, simplici at digno semper sermone utens, atque ea ratione ut ea quae doceat in usu habeat, vestigia sequens Salvatoris nostri qui “coepit facere et docere”.

637. —Sedulo caveant missionarii ne eorum praedicatio unice vel praecipue consistat in vitiis vitiosisque reprehendis; ac probe sciant simplicem ac dilucidam explicationem dogmatum quae credere debent, et praeceptorum quae observare tenentur, esse neo-conversis ac paganis magis proficuum.

638. —Omnibus de re missionali sive scripto sive sermone tractantibus enixe commendamus, ut nunquam depingant mores, cultum, indolem, statum gentium quibus advehenda est Catholica Fides, ut videantur earum potius mala quam bona efferre; sed de aliis nationibus semper loquantur eadem prorsus observantia, qua ipsi ab alienis de sua patria sermonem haberi desiderant.¹

Omni denique studio curent missionarii ut christiani bono sint exemplo paganis, et cum illis pacifice vivant, nedum ipsis verbo aut facto noceant.

¹ S. C. de Prop. Fide, 9 Jun. 1939.

639. —Ad normam Rescripti S. Congregationis Rituum diei 14 Apr. 1926, *Dies pro Missionibus* in universis Insulis Philippinis quotannis celebretur paenultima mensis Octobris die dominica, in qua:

1.0 Peculiares preces pro infidelium conversione fundantur, atque collecta *Pro Fidei Propagatione* veluti imperata pro re gravi in singulis Missis addatur;

2.0 Concio de re missionaria in omnibus paroeciis habeatur;

3.0 Spiritus missionalis ope conferentiarum foveatur, tam in Seminariis, quam in scholis aliisque institutis catholicis;

4.0 Stipes in omnibus ecclesiis atque in singulis collegiis et scholis colligantur, suo tempore ad Pontificium Opus a Fidei Propagatione mittendae in subsidium missionum catholicarum.

640 .—In eumdem finem fidei propagandae, Concilium exoptat ut impense ab omnibus foveatur arctissima unio inter eos qui, sive in Actione Catholica, sive in sodalitatibus aliisque associationibus vel institutis catholicis militant, ita ut in omnibus eluceat mutua inter se conjunctio et conspiratio ad Regnum Christi stabiliendum in individuis, in familiis atque in ipsa societate.

Hoc enim pacto, jure sperare licet ut fides catholica sit veluti lucerna lucens, quae e nostris regionibus illuminet populos qui adhuc tenebris obvoluti misere jacent, atque, juxta optata Pii Papae XI, semina vitae supernaturalis in omnes vasti Orientis regiones diffundat.¹

¹ Pius XI, epist. 18 Jan. 1939.

Caput III.

De Seminariis.

Art. i. De Seminarii constitutione ac regimine.

641. —Unaquaeque dioecesis in loco convenienti ab Episcopo electo Seminarium minus seu collegium habeat in quo, pro modo facultatum et dioecesis amplitudine, adolescentes qui indicia praebeant ecclesiasticae vocationis primis litterarum studiis imbuantur, atque ad statum clericalem praeparentur.

Quod attinet ad Seminarium majus pro alumnis philosophiae ac theologiae vacantibus, servetur praescriptum can.

1354 §§ 2^{et} 3-

642. —Quodsi, ut alicubi contingit, vel angustiores Dioecesis fines, vel exigua eademque lamentabilis alumnorum copia, vel denique idoneorum hominum rerumque penuria non concedant ut Episcopus quisque proprium optimeque instructum Seminarium habeat, tum summopere opportunum est ut sacri ejusdem regionis Antistites vires fraterno animo jungant, easque in commune Seminarium conferant, quod nobilissimo mandato muneri omnino respondeat.

643. —Seminarium Interdioecesanum, auctoritate apostolica erectum decreto Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus, 27 Nov. 1928, in civitate Mnilana constitutum apud Catholicam Universitatem a Sancto Thoma nuncupatam, ac regimini Sodalium Sancti Dominici commissum, omni laude honestandum planeque servandum esse edicimus. ¹

¹ PIUS XI, Encycl. *Ad Catholici Sacerdotii*.

644 .—Cum idem Seminarium pro cunctis Insularum Philippinarum dioecesibus erectum fuerit instar Seminarii majoris, singuli Ordinarii locorum tenentur aliquos saltem alumnos pietate simul ac ingenio praestantiores ad ipsum mittere, ad ampliorem et exquisitiorem in sacris disciplinis institutionem. assequendam.

645. —Seminarium Sancti Joseph, sub directione Sodalium Societatis Jesu, omnes agnoscimus ut alterum seminarium interdioecesanum, prouti constat ex epistola S. Pii X ad Revmum. Dnum. Ambrosium Agius, Delegatum Apostoli- cum, die 3 Maji 1910.

646. —“Unumquodque Seminarium suas leges habeat ab Episcopo approbatas, in quibus quid agere, quid observare debeant, doceantur tum qui in eodem Seminario in spem Ecclesiae instituuntur, tum qui in horum institutionem operam suam impendunt.”¹

Seminarii Interdioecesani regimen universum et administratio, tum normis ex communi Ecclesiae jure desumptis, tum legibus specialibus quae ex praescripto S. Congregationis de Seminariis servandae sunt, regitur.

647 ,—Rector accuratissime seligatur, quippe qui veluti forma est Seminarii.

Ceteri moderatores et professores non solum doctrina, sed potissimum vitae sanctitate splendeant; atque enitendum est ut magistri, quantum fieri potest, sint in sua quisque disciplina stabiles.

Director spiritus, ex optimis eligendus, intra ipsum Seminarium degat et in colenda illa alumnorum robusta pietate,

¹ Can. 1357 § 3.

quae primum vitae sacerdotalis constituit fundamentum, indefesse adlaboret.

648. —Quoad regimen in Seminariis servandum, Concilium sequentia praecipit:

1.0 Alumni externi ne admittantur nisi rarissime ac gravi de causa, atque ea lege ut nunquam in publicis diversoriis seu hospitiiis morentur;

2.0 Annus scholasticus integris novem mensibus contineri debet;

3.0 Scholasticum horarium ita erit constituendum, ut alumni omnes per viginti saltem horas qualibet hebdomada scholae vacent;

4.0 Scholaris supellex sit decens atque scopo conveniens;

5.0 Universi Seminarii alumni eadem semper utantur mensa, eisdemque alantur cibus, nisi de aegrotantibus agatur.

649. —Bis in anno ad singulos Episcopos, quorum alumni in Seminario instituuntur, narrationem de eorumdem profectu in pietate, in disciplina ac in studiis Rector mittendam curabit.

650. —Cum universae dioecesis utilitati cedat recta Seminarii constitutio ejusque alumnorum sustentatio, ut temporibus necessitatibus Seminarii occurratur, praecipimus sequentia:

1.0 Singulis annis, diebus ab Ordinario loci statutis atque in omnibus ecclesiis et oratoriis tam publicis quam semipublicis, stipes ad hunc finem colligantur, integrae ad Curiam dioecesanam remittendae.

2.0 Tributum, quod *seminciyisticutn* vocant, ab omnibus solvatur de quibus in can. 1356 § 1* Haec taxa, juxta normam

Concilii Manilani I num. 1030, 1.0 apud nos adhuc vigentem, “nec infra tres nec supra quinque argenteos pro singulis centenis esse debet, ab Episcopo, de consilio deputatorum pro temporali administratione Seminarii, stabilienda”, salvis legitimis consuetudinibus.

3.0 Si haec non sufficiant, Seminario aliqua beneficia simplicia, si quae sint, attribuantur.

651 .—Ut res oeconomicae Seminariorum rite administrentur :

1.0 in unoquoque Seminario oekonomus habeatur, a rectore distinctus sed eidem subjectus, cujus sit rem familiarem

1

curare.

2.0 Stricte praescribitur ut, ad normam can. 1359¹ bini sacerdotes constituent coetum deputatorum pro administratione bonorum temporalium Seminarii, qui, praeside Episcopo, tertio saltem quoque mense conveniant ad agendum de acceptis et expensis, necnon ad explorandam veram rei familiaris conditionem. Expediit ut ad eosdem conventus invitentur eisque intersint rector et oekonomus, ut, collatis consiliis, cum memorato coetu deliberent de Seminarii statu oeconomico, eaque decernant quae ad universum administrationis bonorum negotium melius ordinandum conducere videantur.

Art. 2. De vocationibus sacerdotalibus provehendis.

652 .—In qualibet dioecesi quamprimum instituat *Opus vocationum sacerdotalium* a Ssmo. Domino Nostro Pio Papa XII constitutum. *Motu proprio Cum Nobis diei 11 No.*¹

¹ Can. 1358 et 1360 § 2.

vembris 1941, servatis statutis ac normis a S. Congregatione de Seminariis die 8 Septembris 1943 probatis.

653 .—Huic operi triplex finis assignatur:

1.0 Instruere fideles circa sacerdotii sublimem dignitatem, eosque certiores reddere tum de gravi sacerdotum penuria in nostris dioecesibus tum de obligatione sacerdotales vocationes fovendi;

2.0 Eisdem inducere ad ferventes jugesque preces fundendas, ut Dominus “mittat operarios in messem suam”;

3.0 Eos denique incitare ad eleemosynas et oblationes relinquendas in subsidium ejusdem Seminarii.

654 .—Sacerdotes omnes, maxime autem parochi, summo studio promoveant idem *Opus vocationum sacerdotalium*, adhibitis omnibus mediis quae sibi animarum zelus suggerat, ac praeterea:

1.0 Eas pias associationes foveant, quae aptiores sunt ad puerorum juvenumque pietatem augendam ac germina ecclesiasticae vocationis excitanda, et intimum perfectionis christianae desiderium in sodalibus alant;

2.0 Parentibus data opportunitate ostendant, quanto honore a Deo prosequantur familiae, quarum aliqui saltem filii ad sacerdotium tanquam Aaron eliguntur; et quantum in se onus conscientiae suscipiant illi, qui proprios filios avertunt a divina vocatione sequenda.

655 .—Dent operam sacerdotes, parochi speciatim, ut pueri et adolescentes pauperes a statu ecclesiastico non arceantur, ob solam rei familiaris inopiam.

Quem in finem, fideles pios ac ditiores excitent ut studiorum bursas (vulgo *becas*) aut pensiones fundent, aliaque sub-

* '-exuerant ad al
suadeant ut id, potius ^ ^Up:res Ostentandos; filisque me^{ntum} agant.
P aCtUm Inter vivos, quam per testa-

sedent, Concilium deSIThmlh qUae in P«« occurere scopo semper
tradantur, eique rei i ^{te}mporalia Epi-
a umnorum in quorum favore^m Ominati
stncteqe prohibet ne in posti 1? SU«U imP^{end}^i; di- fundatio, cum
onere sustentandi * aCCeptetur bursa aut signatum. ntand> alumnum
a benefactore de-

656.- Tandem ut D

ecclesiasticum concedere diZT^{TM5} VOCariones ad statum quibus
vocationes ipsae a / U n a . c u m auxiliis necessariis, nopere
conferunt: et,Cem exitu «i adducantur, mag-

^{1,0 sa}cerdotal\,s sen n*

gregatione Rituum approbatIT ^a &« Con-
'anbus indulgentiis a Sacra p * - " Martii r936, ac pecu- tum die i2
Aprilis z937,. PoeniteTMaria Apostolica dita-

missione ad Deull^{^136 fel.gioSae ^} sine inter-

colligatur. k^{TM'} qUo Aesaurus dolorum inter aegrotos .

m the Philippines. ^{omen}

Drive for More

657.—Uo ^{31oe alUmn0mm} formatione.

Peculiariter postd^{^^^J1} . ^m, quam tempora

apta alumnorum selectione ac recta in!^{TM3"1 3S}Sequi valeant,

tecta institutione opus est. Non

enim sufficit, ait Pius XI in litteris die 18 Jan. 1939 datis, probitas ordinaria in sacerdote, qui, ut alter Christus, excellentia suae virtutis ac perfectione propriae vitae, fidelibus aedificationi esse debet; neque satis ei est exigua aut mediocris doctrina, sed ampla atque solida scientia requiritur, qualis a Deo exigitur et a populo fideli jure speratur.

658. —In Seminarium generatim ne admittantur nisi filii legitimi, qui, praeter dotes jure communi requisitas, aetatis annum duodecimum expleverint, ac studia saltem intermedia cum fructu absolverint.

Inter documenta ab ipsis exhibenda antequam recipiantur, exigatur testimonium de matrimonio catholico ab eorum parentibus contracto, aut si de filiis legitimatis agatur, authenticum testimonium legitimationis jure vel privilegio concessae.¹

659. —Antequam in Seminarium admittantur qui, quocumque titulo, ad familiam religiosam pertinuerint, Ordinarius recurrere debet ad S. Congregationem de Seminariis et studiorum Universitatibus, quae de judicio suo Ordinarium certiore faciet, peractis iis omnibus quae casus ferat."

660. —Seminarii rector et alii omnes moderatores sub ejus auctoritate curent, ut qui ad sacerdotium divino numine impelluntur, a teneris annis non modo in illa pietate atque scientia, qua efficiantur sal terrae et lux mundi, informentur; verum etiam ut, maxima vigilantia atque proba in Seminariis disciplina, rectam vivendi rationem agant et sanctitatem vitae bene considerent. Quapropter:

1.0 Caveant ne alumni, perdurante anno scholari, e Seminario absint excepta infirmitatis causa; neve ulli permittant ^{1 2 3}

¹ S. C. Consist., 26 Mart. 1949, Fac. Decen. num. 5.

² S. C. de Semin., 25 Jul. 1941.

³ Cone. Manii. I, n. 724.

privatas familias adire, etiam ad subsidium nummarium colligendum.

2.0 Cum sollemnitates Nativitatis et Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi maxime conducant ad alumnorum pietatem nutriendam, omnes intra Seminarii septa his temporibus degant, non autem apud eorundem familias.

3.0 Ferae aestivae extra Seminarii communitatem, spatium unius mensis nunquam excedant.

4.0 Munus instructionis catecheticae externis tradendae solis tironibus tertii et quarti anni theologiae committatur, neque ab iis exerceatur nisi sub ductu directoris disciplinae externae.

661 .—In lingua latina solidum jaciant fundamentum alumni omnes, nullusque ad philosophiam mittatur quin sufficientem latine loquendi peritiam probaverit, qua et professorum doctrinam plene intelligere et sese scholasticis exercitationibus exercere possit.

Uniformitatis causa in lingua latina docenda et adhibenda pronuntiatio romana ubique servetur.

Linguas praeterea anglicam et hispanam accurate, quoad fieri possit, addiscant; atque in vernaculo idiomate regionis ita exerceantur, ut eo uti valeant in suis ordinariis colloquiis.

662 .—In omnibus disciplinis principalibus et auxiliaribus praelegatur liber textus, typis editus et publici juris factus.

Professores in philosophia et theologia tradenda, rationem, ■ doctrinam et principia Doctoris Angelici sancte teneant.

In docendis theologia fundamentalis, dogmaticae, morali, Sacra Scriptura, jure canonico adhibeatur lingua latina, et in theologia dogmatica forma syllogistica.

In cursu juris canonici acta et decreta hujus Concilii Plenarii diserte edoceantur. Hortamur etiam ut alumni elementa Artis Sacrae tradantur.

663.—In theologia morali docenda, exponantur rationes quibus conclusiones inniuntur, atque afferantur auctoritates boni nominis quibus variae opiniones fulciuntur, et dein doctrina casibus practicis applicetur.

Professores theologiae moralis, agentes de re sexuali, magna moderatione utantur; neque pertractent, nisi quae ad efformandos confessarios et conscientiarum directores vere conducant et necessaria sint.

Habeantur lectiones de theologia pastorali ad normam can. 1365, § 3, additis etiam practicis exercitationibus de modo conscribendi libros paroeciales, ac praesertim de ratione accurate adnotandi Missas manuales acceptas et celebratas.

664.—Institutio liturgica in omnibus Seminariis majoribus speciali cura tradatur; et alumni omnes, diebus dominicis et festis de praecepto, generatim in ejusdem Seminarii sacello, Missae solemnibus adsistant et per vices inserviant. Idem in Vesperis festorum solemniorum et in Triduo Majoris Hebdomadae faciant, nisi Episcopo in ecclesia cathedra aut alibi celebranti assistere debeant.

665.—Ut futuri sacerdotes dexteritatem acquirere possint in Actione Catholica inter fideles promovenda, atque apti efficiantur ad populum in rebus socialibus docendum et dirigendum, praescribimus ut sacrae theologiae tironibus cursus completus sociologiae et Actionis Catholicae similiter praebeatur.

666. —Edoceantur alumni circa ministerium docendi populum christianum, etiam per congrua praecepta et practicas exercitationes.

Habeantur ergo frequentes lectiones paedagogiae catechisticae, seu de ratione tradendi pueris aliisque catechismum; in quo sanctissimo opere sub ductu idonei sacerdotis sese exercent alumni, sive in Seminario, sive in ecclesiis vicinioribus, prout prudentia suaserit.

667. —Directori spiritus jus est et officium consulendi alumnorum institutioni, eosque in via spirituali docere, dirigere, contra pericula munire debet. Quare:

1.0 Semel saltem in hebdomada instructioni de rebus spiritualibus incumbat, quae pia ad alumnos exhortatione claudatur;

2.0 Secessum spiritualem, singulis mensibus die a rectore statuto habendum, ipsemet moderetur;

3.0 Omnes ac singulos alumnos frequenter, id est, unoquoque saltem mense, privatim alloquatur.

668. —Exercitiis spiritualibus singulis annis vacent per tres ad minus dies continuos hi qui in Seminario minore, per quinque saltem integros dies hi qui in Seminario majore versantur.

669.—Sedulo instruantur alumni in oratione mentaliter aut vocaliter fructuose peragenda, in propria conscientia discutienda, in iis perdiscendis quae ad vitiorum semina extirpanda, ad compescendos animi motus, ad virtutes acquirendas pertinent. ¹

¹ Cfr. Instr. S. Congr. de Seminariis, 21 Dec. 1944 (Acta Apost. Sedis, XXXVIII, pag. 173).

Instituantur praecipue in colenda virtute angelica ope specialis devotionis erga B. Virginem Mariam, in acquirenda omnimoda sui ipsius abnegatione, perfecta obedientia, zelo animarum, amore propriae vocationis, pura intentione, familiaritate cum Deo in omnibus actionibus.

670 .—In singulis Seminariis, tempore opportuno intra annum scholarem, preces novendiales in honorem Spiritus Sancti solemniter celebrentur, additis piis meditationibus aut collationibus seu *conferentiis* in quibus de sublimi dignitate sacerdotis, de singulari gratia vocationis sacerdotalis, de impetrandis vocationibus ope Spiritus Sancti, de sanctificatione sacerdotum aliisque similibus agatur. Supplicationes hujusmodi consecratione alumnorum Spiritui Sancto et renovatione promissionum baptismalium convenienter concludantur.

671 .—Amabilem se praestet Director spiritus, vitaeque integritate ac discretione ita se gerat, ut alumni omnes in suis tentationibus ad eum confugiant, ei se confidenter aperiant, ab eoque consolationem et auxilium in Domino sperent.

Meminerit tamen ipse Director spiritus, se nulli prorsus, sive directe, sive indirecte manifestare posse audita in ratione conscientiae alumnorum, nisi expresse consentiente eo qui eam reddidit; ac sibi praeterea stricte prohiberi, quominus eadem notitia utatur ad exterius agendum cum gravamine ipsius alumni.

672 .—Ad rectam denique alumnorum institutionem pertinet aptus eorum delectus, isque, tam a rectore quam ab aliis Seminarii officialibus, intra fines ac terminos proprii cuiusque muneris peractus, salvo praescripto canonis 1361 § 3*

Quemadmodum enim omni ope fovere ac roborare debent sacerdotalem vocationem in iis, qui divino instinctu vocati censentur, atque aptitudinem ad sacerdotalia munia ostendunt; ita eos a sacro Ordine, pari diligentia atque opportuno tempore, arcere tenentur, quos non idoneos perspexerint atque adeo inutiles ad digne sacerdotalia officia sustinenda.

673. —Quamobrem, ait Pius XI in Encycl. *Ad catholici sacerdotii*, directores spiritus atque confessarii, non aptos aequae atque indignos, humano nullo habito respectu, pro officio jubeant e sacris Seminarii septis, dum tempus est, recedere; eaque in causa pertractanda tutiorem semper sententiam amplectantur, quae quidem, ad rem quod attinet, multo magis sacrorum alumnis favet, cum eos ex itinere avertat, per quod ad aeternam ruinam adduci possent.

Quodsi interdum non satis luculenter hujusmodi officium pateat, eam saltem iidem auctoritatem adhibeant quae ex sibi credito munere paternaque in alumnos caritate oritur, ut eos ad sponte sua ab instituto recedendum inducant, quos non ita, ut oportet, animatos noverint. Habeant alte confessarii illa in animis insculpta, quae S. Alphonsus de Ligorio haud absimili de causa docet: “Ut plurimum, quo severius (hac in re) confessarius cum poenitentibus agit, eo tutius ipsorum saluti consulit; ac contra, eo se duriolem poenitentibus praestat, quo ipsis se faciliorem impertit”.

674. —Ut autem Episcopi suos sacrorum alumnos plene cognoscere valeant, praeter informationes a Seminarii moderatore aliisve personis acceptas, illorum dotes et indolem ipsi personaliter explorent; praesertim antequam ad inchoandam theologiam mittantur, necnon ante receptionem primae tonsurae, et ante collationem subdiaconatus et presbyteratus.

Caput IV.

De scholis.

Art. i. De principiis fundamentalibus.

675 .—Concilii Patres, doctrinam a Pio Papa XI in Encyclica *Divini illius Magistri*, 31 Dec. 1929, traditam libentissime profitentes, sequentia statuunt principia tenenda:

1.0 Educatio consistit in formatione hominis, qualis esse debet in hac vita, ut finem ultimum consequatur. Debet esse *integra*, id est, totius hominis; ideoque physica, intellectualis et moralis, individualis et socialis, naturalis et supernaturalis.

2.0 Educatio, quae ad totum respicit hominem, pertinet ad tres societates: domesticam, civilem atque ecclesiasticam, fini cuiusque proprio congruenter, pro praesenti ordine divinitus constituto.

3.0 Munus educandi praecipua quadam ratione est Ecclesiae proprium, ob potestatem magisterii sibi concessam verbis Christi: “docete omnes gentes”, nullaque in terris potestate legitime oppugnari aut praepediri potest.

4.0 Habet familia proxime a Creatore munus, ac propterea jus prolis educandae; quod quidem jus, cum abjici nequeat utpote cum gravissimo officio conjunctum, cuivis societatis civilis et reipublicae juri antecedit, eaque de causa nulli in terris potestati illud infringere licet.

676 .—Parentes a nemine dispensari possunt de gravissima illa obligatione legis divinae et naturalis, qua tenentur non modo religiosam ac moralem filiorum educationem procurandi, sed etiam physicam et civilem, pro ea potissimum relatione quam cum religione et morum doctrina habeant.

Nefas igitur est, Statum educationis institutionisque causam ita ad se redigere totam, ut familiae, contra christianae conscientiae officia vel contra quam legitime malint, physice aut moraliter ad ipsius Status scholas liberos suos mittere cogantur.

677 .—Habet nihilominus Status suas in educatione partes:

1.0 Jus est vel, ut rectius loquamur, officium est reipublicae tutelae suis legibus antecedens familiae jus christiano more prolem educandi, adeoque supernaturali Ecclesiae juri in christianam ejusmodi educationem obsequendi.

2.0 Educationem ipsam juventutis atque eruditionem pluribus modis promovere debet; primo ac per se, operae ab Ecclesia et familiis susceptae favendo atque opitulando; deinde operam ipsam perficiendo ubi ea deest vel haud sufficit, etc.

3.0 Potest Status praecipere ac curare ut cives omnes civilia et nationalia jura perdiscant.

678 .—Scholae, natura sua, tamquam subsidium ac fere complementum Ecclesiae simul et familiae sunt. Consequens igitur est, publicas scholas non solum familiae atque Ecclesiae repugnare non posse, sed etiam cum utraque, quantum res patitur, congruere oportere: ita nempe ut tria haec (schola, familia et Ecclesia) unum fere christianae institutionis sacrarium efficere videantur, nisi velimus scholam a suo plane proposito aberrare et in adolescentium pestem atque perniciem converti.

Art. 2. De scholis Status.

679 .—Dolendum valde est systema educationis a civili Gubernio in his regionibus adoptatum, materialismum sapere,

atque ab institutione juventutis Deum et Christum ejus penitus segregare.

Inde necessario consequitur ut religio, non tam a scholis publicis seu officialibus absit, quam in eisdem scholis tacite vel etiam aperte oppugnetur; et pueri sibi persuadeant, nihil aut certe parum ista omnia ad bene vivendum valere, de quibus aut nullus habetur sermo aut verba utique plena contemptiois fiunt.

Deo autem ejusque lege e disciplina studiorum exsultantibus, jam non intelligitur quo pacto adolescentulorum animi ad malum devitandum atque ad aetatem honeste sancteque agendam institui possint; et simul, quemadmodum domestico et civili convictui copia suppetat hominum, qui sint bene morati, ordinis pacisque amatores, et ad communem prosperitatem idonei atque utiles.¹

680 .—Damnantes igitur ac rejicientes educationem mere civicam, qua alumni scholarum publicarum “in summa sanctissimarum rerum ignoratione nullaque religionis cura” ut plurimum adolescent, sequentia pro praxi statuimus:

1.0 Parentes strenue vindicare curent jus institutionis vere christianae filiorum, omnem in hoc genere propulsent injuriam, ac persuasum habeant “se nihil pejus de prole sua, de patria, de re catholica universa mereri posse, quam si natos suos in extremam hanc impietatis aleam immittant”.

2.0 Actionis Catholicae viri, maxime autem qui munere aliquo publico funguntur, vel per maximas molestias laborare conentur ut systema educationis apud nos vicens mutetur, aut saltem, ut de christiana adolescentium institutione in **3**scholis publicis justae aptaeque leges auspicate condantur.^{1 2}

¹ Pius XI, Encycl. *Ubi arcano*. 23 Dec. 1922.

² S. C. S. Off., 26 Mart. 1866.

681 .—Interea autem, dum praesens rerum status perseveret, parochis ac sacerdotibus nostris animarum curam habentibus injungimus ut, adhibitis omnibus legalibus mediis, doctrinam religionis in unaquaque proprii territorii schola officiali, pueris catholicis impertire satagant eo saltem modo quo a lege vigente permittitur.¹

Quodsi in aliquo casu, auctoritas localis scholae id prohibeat, aut variis praetextibus impossibilem reddat instructionem religiosam jure permissam, aut potestate sua quoquo modo abutatur, ne omittant sacerdotes rem ad superiores auctoritates deferre ac, si opus fuerit, penes ipsum Gubernium Insularum conqueri, ut tanto malo opportune occurratur.

682 .—Debent insuper parochi, peculiari omnino studio:

1.0 Invigilare ne in publicis scholis sui territorii quidquam contra fidem vel bonos mores tradatur aut fiat;

2.0 Scholas catechismi tempore aestivarum vacationum aperire, ad consulendum religiosae institutioni alumnorum qui publicas scholas frequentant;

3.0 Eosdem pueros ac puellas contra pericula occurrentia praemunire.

Art. 3. De scholis Ecclesiae.

683 .—Quamvis doctrina christiana alumnis omnibus, aut saltem catholicis, regulariter tradatur in aliqua schola, non ideo haec juribus Ecclesiae ac familiae satisfacit et digna fit quae ab alumnis catholicis celebretur. “Nam ut hoc quaevis

¹ Cfr. Codicem Administr. Philipp. Sect. 928, ubi expresse permittitur ut ter in hebdomada, per semihorae spatium, institutio religiosa in scholis publicis (seu Status) a parochio aut sacerdote per se vel per alios tradatur illis pueris ac puellis, quorum parentes aut tutores id in scriptis petierint; firma prohibitione ne scholarum publicarum magistri religionem doceant aut ad eandem intra scholae ambitum docendam designentur, neve ipsi magistri ab ullo alumno exigant ut religiosae institutioni intersit.

schola revera praestet omnino oportet ut tota institutio ac doctrina, scholae ordinatio tota, nempe magistri, studiorum ratio, libri, ad quamvis disciplinam quod pertinet, christiano spiritu, sub ductu maternaque Ecclesiae vigilantia, sic imbuti sint ac polleant, ut Religio ipsa totius instituendi rationis cum fundamentum tum fastigium constituat; neque hoc solum in scholis in quibus doctrinae elementa, sed in iis etiam ubi altiores disciplinae traduntur”.¹

684. —Cum hodie, non modo externa pericula tantopere aucta, sed et doctrinae speciosae ac valde periculosae in discrimen vocare possint rectam juventutis institutionem, Concilium, pro gravissimo munere sibi commissio, censet collegia atque scholas catholicas esse his temporibus impensius fovenda et, quantum fieri potest, multiplicanda, ut adolescentes utriusque sexus christiane firmentur, atque adversus illecebras erroresque mundi apte muniantur.

Sed quoniam non parva pecuniae summa praerequiritur ad quaslibet scholas erigendas et sustinendas, Concilium clericis omnibus prohibet quominus pecuniam hujusmodi, sive per se sive per laicas personas, in favorem ullius scholae colligant ad modum societatum industrialium et commercialium, ope scilicet *actionum* emissarum quibus unicuique socio acquiritur jus ad partem aliquotam capitalis et, consequenter, ad participandum pro rata in beneficiis seu lucris ipsius scholae.

Parochis denique atque ecclesiarum rectoribus injungit ut quotannis, ineunte anno scholari, parentes et tutores admoneant de eorum officio scholas catholicas sustinendi.

685. —Praeclaris igitur afficimur solaciis gratoque divinam Bonitatem prosequimur animo, cum videamus sodales

¹ Pius XI, Encycl. *Divini illius Magistri*, 31 Dec. 1929.

religiosos et religiosas virgines, propriae utilitatis immemores, enixe constanterque operam dare christianae juventutis institutioni, non solum in urbibus, sed et in praecipuis harum regionum pagis.

Merita quoque laude prosequimur catholicos illos, qui, Episcopis aut sacerdotibus opem ferentibus, pecunia dumtaxat sua scholas sustentant ad filios suos recte instituendos, et laudabili constantia in suo perstant proposito, illud tamquam insigne suae actionis praeferentes ut scilicet “omni catholicae juventuti catholicam educationem in scholis catholicis” omnino provideant.

686.—Praecipuo honore ab omnibus habeatur Pontificia Universitas Sancti Thomae, quae, a sodalibus Dominicanis in urbe Manilana jamdudum condita atque amplissimis aedibus dein aucta, de religione et patria per plura saecula quam optime meruit, atque ex manifesta catholici nominis professione *Universitas Catholica Philippinarum* jure nuncupatur.

Benevole tandem ab omnibus recipiatur Universitas Sancti Caroli, nuper in civitate Caebuana a sodalibus Societatis Verbi Divini, auspice atque opem ferente Archiepiscopo, erecta magno cum familiarum gaudio profectuque publicae eruditionis.

Quapropter sacerdotes, confessarii, collegiorum magistri tam religiosi quam saeculares, his duabus Universitatibus favere tenentur, ad eas adducendo juvenes qui studiis superioribus incumbere cupiunt, nisi alia instituta superiora aequae catholica jam celebrent.

687.—Volumus autem ut nulla in posterum schola nulloque collegium *catholici* nomine adpellatur, absque praevia licentia ab Ordinario loci in scriptis data; quae quidem nonnisi ea conditione dabitur, ut magistri ac professores omnes

sint vere et practice catholici, atque doctrina christiana alumni, juxta normas ab Episcopo determinandas, tradatur.

In unaquaque dioecesi inspector ab Ordinario constituatur, qui omnes scholas catholicas regulariter invisat ad inspiciendum utrum mandata Episcopi ubique servantur.

688. —Moderatores et magistri, tam scholarum quam collegiorum nostrorum, gravissimi ac sanctissimi muneris sui semper memores esse in Domino hortamur.

Suas quisque vires summamque ambitionem omnes eo dirigant, ut discipuli sui, in artibus et scientiis alumni vel optimae cujusvis scholae acatholicae ejusdem speciei sint aequales, morum vero probitate ac puritate omnibus antecellant.

Christianam alumnorum institutionem secundum normas praescriptas totis viribus promoveant, curentque ut scholae in ea re, magis quam in aliis quibuslibet exterioribus, meritam laudem assequantur.

Pro honore Dei et Ecclesiae gloria, pro salute societatis humanae et reipublicae incolumitate se certare sciant, nec unquam in tam arduo labore animo despondeant.

689. —Totam religiosam ac moralem juventutis educationem doctrinae christianae institutioni solidae atque ad aetatem accommodatae quasi firmo fundamento superstruant. Quare:

1.0 Doctrina christiana, nunquam inter auxiliares vel secundarias, sed semper inter praecipuas disciplinas tradendas recenseatur;

2.0 Idonei magistri ad eam in singulis scholis docendam applicentur; ac locorum Ordinarii curent ut, in scholis superioribus atque Universitatibus, id fiat per sacerdotes zelo et doctrina praestantes.

3-0 Religiosae institutioni congruum tempus singulis hebdomadis tribuatur, nec nisi raro ac gravi de causa alumni ab ea dispensentur.

4.0 Alumni omnes ita amore propriae ecclesiae paroecialis imbuantur juxta mentem Ecclesiae, ut eandem adire non vereantur, sed potius ad eandem frequenter accedant ibique divinis officiis intersint et verbum Dei audiant.¹

690. --Moderatrices ac magistrae in scholis puellarum attente considerent atque in praxim deducere conentur ea quae a S. Congregatione Concilii die 12 Jan. 1930 statuta sunt, videlicet:

1.0 Collegiorum moderatrices et scholarum magistrae modestiae amore puellarum animos ita imbuere enitantur, ut eaedem ad honeste vestiendum efficaciter inducantur.

2.0 Eaedem moderatrices ac magistrae puellas, ne ipsarum quidem matribus exceptis, quae vestes minus honestas gestent, in collegia et scholas ne admittant, admissasque, nisi respiscant, dimittant.

3.0 Religiosae in sua collegia, scholas, oratoria, recreatoria puellas ne admittant, admissas ne tolerant, quae christianum vestiendi morem non servent; ipsae vero in alumnis educandis peculiare adhibeant studium, ut in earum animo sancti pudoris et verecundiae christianae amor altas radices agat.

... **691.**—Absque licentia Ordinarii loci, nequeunt scholae vel collegia catholica partem habere in publicis exercitationibus et concursibus gymnics, ubi juvenes atque alumni utriusque sexus concurrunt.

Arcendae pariter sunt alumnae scholarum catholicarum, a gymnics ludis atque exercitationibus quae pro solis puellis interdum instituuntur. Si vero eisdem interesse cogantur,

¹ Can. 467 § 2.

christianae peculiari modo modestiae puellarum cavendum atque ut vestes adhibeant quae honestatem plene prae se ferant pro viribus curandum est, “utpote quas ostentare sese atque ante omnium oculos proponere summopere dedebeat.

692.—Omnibus scholarum catholicarum moderatoribus ac moderatricibus districte prohibemus ne, occasione ephemerorum aut aliarum festivitatum vel praetextu subsidia necessaria colligendi, choreas intra scholae aut collegii septa institui sinant, neve easdem extra scholae ambitum habendas ullo pacto nomine scholae catholicae promoveant vel ab aliis promoveri permittant.

In scholis praeterea ubi puellae instituuntur, alumnae deterreantur a ludis mundanis qui interdum publice aut privarim habentur cum modestiae christianae dedecore; serioque admonentur ut nunquam dent nomen concursibus venustaris (*Beauty contests*) ad festorum vel bacchanalium *Reginam* seligendam, neque talem nominationem forte in sui favorem factam acceptent, sed pro viribus detrectent. Huic praescripto non obtemperantes, e schola vel collegio dimittantur.

693 .—Pro viribus rejicimus ac vehementer cum Sancto Officio, 21 Mart. 1931, damnamus novam methodum integritatis morum et castimoniae promovendae, a nonnullis scriptoribus recentioribus propugnatam, sub specioso nomine *educationis sexualis* vel etiam *initiationis sexualis*.

Quare moderatoribus ac magistris omnibus injungimus ut, in educatione nostrae juventutis, omnino servent methodum a Ecclesia sanctisque viris hactenus adhibitam et a Pio Papa XI in Encyclicis Litteris *De christiana juventutis educatione* daris sub die 31 Decembris 1929 commendatam. ¹

¹ Pius XI. Encycl. *Divini illius Magistri*, 31 Dec. 1929; S. C. Cone., Instr. 12 Jan. 1930.

Diligenter igitur imprimis curent plenam, firmam, nunquam intermissam juventae utriusque sexus religiosam institutionem; excitent in ea angelicae virtutis aestimationem, desiderium, amorem; eique summopere inculcent ut instet orationi, Sacramentis Poenitentiae et Sanctissimae Eucharistiae sit assidua, Beatam Virginem sanctae puritatis Matrem filiali devotione prosequatur ejusque protectioni totam se committat; periculosas lectiones, obscoena spectacula, improborum conversationem et quaslibet peccandi occasiones sedulo devitet.

694.—Probe sciant parentes christiani, sui muneris nobiliorem partem esse filiorum animos virtutibus enutrire eorum- que mores fingere ad exemplar Jesu Infantis. Quare illos in caritate Christi urgemus ut ita erga liberos se gerant, quatenus eos amore ac fiducia nullo timore obumbrata sibi devinciant.

Quaestiones forte a filiis propositas de origine vitae et similibus, prudenter quidem et privatim explicent modo digno et eorum aetati congruo; eos hortentur ne de his rebus cum aliis loquantur; atque indefesse invigilent ne filiorum mores ex prava aliorum societate vel ex clandestinis lectionibus turpiter corrumpantur.

695.—Libri proinde ab Ecclesia prohibiti aut bonis moribus adversantes, itemque folia periodica atque ephemerides periculosae, non sunt ullo modo in scholis catholicis retinendi.

Si quae autem in scholae aut collegii bibliotheca servanda sint, prae oculis habeantur et sedulo observentur cautelae ab Ecclesia requisitae, ita ut memorati libri ad alumnorum manus facile pervenire nequeant.¹

¹ On. 1402 § 2 et 1403 § 2.

696 •—Attentis nostrae regionis conditionibus, catholicorum cum acatholicis permixtioni faventibus, evenire potest ut parentes sive tutores acatholici pueros ac puellas suas nostris scholis committere velint.

Nos autem, quamvis alienos recipere non absolute prohibeamus, enixe tamen moderatores et moderatrices scholarum hortamur, ut moribus omnium alumnorum alumnarumve eo religiosius invigilent, quo magis nostri cum acatholicis permixti fuerint; ut non solum illi ab istis nullum capiant detrimentum, sed nec acatholici aliquando scandalum patiantur.

697. —Cavendum denique est, ne scholae ac praesertim collegia nostra catholica solis divitibus aut mediocris fortunae adolescentibus pateant.

Juvenibus igitur bonis dotibus praeditis, sed rerum penuria laborantibus, facilis pateat aditus in scholas et collegia catholica; ut autem gratuito ea frequentare possint, commendamus ut bursae scholares fundentur, aliisve modis provideatur.

Curent praeterea Episcopi ac Superiores religiosi utriusque sexus ut scholae gratuita pro pueris puellisque pauperibus instituantur et institutae foveantur, ne pauperes beneficio educationis catholicae priventur.

Art. 4. De coeducatione.

698. —Inhaerentes principiis a Pio XI in Encycl. *Divini illius* expositis, pro certo habemus fallacem atque christianae institutioni infensam esse illam adolescentes instruendi rationem, quam vulgo *coeducationem* appellant; ob illud enim ipsum corporis animique discrimen, quo inter se mares et feminae ¹

¹ Cone. Manii. I, n. 835.

differunt, apta in eorum educatione distinctio ac separatio, aetatibus ac conditionibus congruens, servanda est in scholis omnibus, praesertim per trepidos adolescentiae annos, unde totius ferme futurae vitae ratio omnino pendet.

699. —Q uare sapienter Patres Concilii Manilani I, de hac re agentes, haec num. 831 decreverunt: “Districte prohibemus ne, ullo sub praetextu, in nostris scholis catholicis simul in eodem cubiculo erudiantur pueri et puellae, maxime qui decimum aetatis annum expleverint. Id enim, experientia teste, bonis moribus adolescentium periculosissimum foret”.

700 .—Si forte rerum temporalium penuria et impossibilitas, scholas separatas pro unoquoque sexu habere non permittant; in singulis casibus ad Sanctam Sedem recurratur, exceptis scholis pro infantibus et firmis Sanctae Sedis concessionibus pro scholis elementariis et pro Universitate Sancti Thomae.

701.—Ne hujus coeducationis tolerantia, si forte ob peculiaria admodum adjuncta a Sancta Sede permissa sit, ansam alicui praebeat morum disciplinam relaxandi cum gravi modestiae offensione, sequentia adamussim servanda statuimus:

1.0 Scholae mixtae, in quibus pueri et puellae tenerrimae aetatis insimul erudiantur, sub directione speciatim religiosarum, permitti possunt.

2.0 Ut pueri ac puellae ulterioris aetatis, maxime post pubertatem, una simul in eadem aula scholari instituantur, praerequiratur licentia in scriptis data ab Episcopo proprio.

3.0 Hujusmodi licentia ab ipso Episcopo, non autem a Vicario Generali absque mandato speciali, obtinenda est praevia petitione moderatoris aut moderatricis uniuscujusque scholae.

4-0 Petitiones ad Curiam episcopalem tempestive mittantur, additis rationibus quibus petitiones eadem innitantur.

702.—Quoties coeducatio, ad tempus definitum aut indefinitum, legitime permittatur:

1.0 Ea semper tacita conditio praesupponitur, ut in qualibet aula scholari pueri et puellae scamnis separatis utantur et in ludis, scenicis repraesentationibus, aliisque oblectamentis, perfecta puerorum et puellarum separatio servetur;

2.0 Scholarum moderatores ac magistri, graviter eorum conscientia onerata, districte observare debent alias condiciones aut clausulas concessionis appositae.

3.0 Saltem semel in anno, versus finem cursus scholaris, et quoties necessitas id exigit, moderator cujusque scholae accuratam relationem Episcopo mittat de his quae in alumnorum coeducatione forte acciderint.

703 .—Scholae et collegia, in quibus coeducatio permissa fuerit frequenter et, quoad fieri potest, singulis hebdomadis a parochio aut cappellano visitentur, tum ad salutaria monita alumnis tradenda, tum etiam ad abusus qui forte irrepserint coercendos aliaque mala praevenienda.

In omnibus autem scholis atque collegiis, alumni utriusque sexus sedulius in operibus pietatis et devotionis exercentur, atque ad Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae fructuose recipienda saepius invitentur.

704.—Illud praecipue caveant Episcopi, ne coeducatio protrahatur ultra id quod vera necessitas postulet. Ubi primum autem conditione temporali meliore, Deo adjuvante, fruuntur ac locorum circumstantiae id sinant, sexuum separationem in scholis catholicis prudenter urgeant.

Art. 5. De scholis non catholicis.

705 •—“Pueri catholici scholas acatholicas, neutras, mixtas, quae nempe etiam acatholicis patent, ne frequentent. Solius autem Ordinarii loci est decernere, ad normam instructionum Sedis Apostolicae, in quibus rerum adjunctis et quibus adhibitis cautelis, ut periculum perversionis vitetur, tolerari possit ut eae scholae celebrentur.”¹

706.—Quocirca:

1.0 Nunquam, nec ad gravissima mala vitanda, licitum est adire scholas non catholicas quandocumque in eis periculum fidei aut moribus ita imminet, ut nullis cautelis removeri possit. Parentes autem vel tutores, qui liberos his scholis committunt, in foro poenitentiae absolvi nequeunt.

2.0 Per se illicitum est frequentare, non solum scholas *acatholicas*, in quibus scilicet alumnorum institutio est fidei, moribus aut disciplinae catholicae contraria, sed etiam scholas *neutras*, in quibus nempe, licet non aperte impugnetur vera religio, at fovetur “ea juventutis instituendae ratio quae sit a catholica fide et ab Ecclesiae potestate sejuncta, quaeque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenae socialis vitae fines tantummodo vel saltem primario spectet”.^{1 2 3} Eadem doctrina est applicanda scholis *mixtis*, eis videlicet quae catholicis et acatholicis indiscriminatim patent, vel ubi catholici non sunt magistri qui pueros communiter litteris atque artibus imbuunt.

3.0 Ut scholarum hujusmodi aditus tolerari possit, oportet: a) “vel nulla praesto sit schola catholica, vel quae suppetit parum sit idonea erudiendis convenienter conditioni suae con-

¹ Can. 1374.

² *Syllab.*, 8 Dec. 1864, prop. 48.

³ Pius XI, *Encycl. Divini illius Magistri*, 31 Dec. 1929.

gruenterque adolescentulis”,¹ vel grave damnum secus timendum sit; insuper, b) parentes curent oportet ut extra scholam doctrinae christianae institutione eo solidius informentur adolescentuli, quo gravius incurrant periculum fidei amittendae; removeant quoque consortium eorum condiscipulorum ex quibus fides aut mores in discrimen adducantur.^{1 2}

Hae regulae valent, non tantum pro scholis elementariis, sed etiam pro mediis et superioribus.

707,—Ubi ejusdem gradus scholae catholicae existunt, pueri catholicorum absolute prohibentur, etiam sub poena denegationis Sacramentorum, quominus scholas acatholicas celebrent.

Simili modo parentes sive tutores, qui, licet schola catholica in eodem loco idonea sit apteque instructa et parata, seu qui, opes habentes ad prolem in alia regione vel civitate catholice educandam, nihilominus eam committunt scholis acatholicis, si contumaces fuerint, in foro poenitentiae absolvi minime possunt.

708 .—Praeterea, ad normam can. 2319, subsunt excommunicationi latae sententiae Ordinario reservatae et sunt suspecti de haeresi:

1.0 Catholici qui matrimonio uniuntur cum pacto explicito vel implicito, ut omnis vel aliqua proles educetur extra catholicam Ecclesiam;

2.0 Catholici parentes vel parentum locum tenentes, qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos scienter tradunt.

¹ Instr. S. C. S. Off., 24 Nov.

² S. C. S. Off., 26 Mart. 1895.

709. —Sedulo autem pastores animarum moneant parentes sive tutores catholicos, se naturali divinaque lege quam strictissime teneri liberis sive pupillis suis christianam institutionem extra scholae tempus tradere, in eaque rite ac diligenter eos informare.

Quod ut assequantur, domi verbo et exemplo pueros ad christianas civilesque virtutes colendas urgere debent, ac insuper pro viribus curare, ut adolescentes catechesibus a parrocho traditis assidue intersint, et scholas religionis diligenter frequentent.¹

710. —Episcopi denique vel maxime curent, ut adolescentes, qui in Americam Septemtrionalem, studiorum causa, mittuntur aut propria voluntate proficiscuntur, collegia atque Universitates catholicas eligant.

Ubi autem id fieri minime possit, nec vitari ut iidem juvenes in collegiis acatholicorum versentur, omnibus viribus contendant parochi, tum commendare dictos juvenes curae et caritati sacerdotum loci in quo sita sunt collegia, tum per litteras suas vel parentum vel amicorum illos hortari et excitare, ut Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae frequenter recipiant, atque praesertim in suis dubiis et difficultatibus ad sacerdotes aut religiosos catholicos pro opportuna directione confugiant.

Frequenter enim accidit, ut ii qui e sinu familiae christianae et de sub tecto scholae catholicae in collegia acatholicorum transeunt, fide moribusque christianis privati revertantur.^{1 2}

¹ Cone. Manii. I, n.

² Cone. Manii. X, n.

Titulus X.

DE BONIS ECCLESIAE TEMPORALIBUS.

Caput I.

De bonis ecclesiasticis acquirendis.

711 .—Cum ecclesiae harum regionum magna generatim egestate praesenti tempore laborent, sedulo instruendi sunt fideles de obligatione, qua tenentur, providendi tum sacerdotum aut missionariorum sustentationi, tum expensis ordinariis cultus divini aliisque Ecclesiae necessitatibus.

712. —Oblationes fidelium, quemadmodum sunt antiquissimus fons proventuum ecclesiasticorum, ita menti Ecclesiae atque pietati et caritati christianorum maxime sunt conformes.

Quae oblationes, quamvis saepissime sint liberae, tamen non raro etiam stricta obligatione a fidelibus sunt dandae.

Firmiter tamen speramus, ut iidem, pro sua pietate et liberalitate te, spontaneas oblationes Ecclesiae pro viribus concedant, quas ipsa optimo jure, ad normam can. 14963 exigere posset ad fines sibi proprios assequendos.

713. —Censentur bona ecclesiastica, et quidem respectivae parociae vel missioni vel alii personae morali acquisita:

1.0 Aedificia sacra, residentiae, scholae aliaque aedificia sumptibus Ecclesiae aut ex eleemosynis fidelium exstructa;

2.0 Quaecumque alia res, sive mobilis sive immobilis, sive sacra sive profana, sumptibus Ecclesiae acquisita; ¹

¹ Cone. Manii. I, n. 993.

3-0 Pecuniae et alia dona, quae paroeciae aut missioni aut alii personae morali in genere, vel speciali ejus operi traduntur;

4.0 Quidquid a fidelibus tribuitur pro ornamento ecclesiae, vel ad cultum publicum in eadem promovendum;

5.0 Similiter fundi cum redditibus ad sustentationem proprii parochi vel missionarii destinati;

6.0 Bona quae sive Ordines sive Congregationes religiosae acquirunt, sive pro suo Instituto, sive pro paroecia vel missione vel alia persona morali sibi concredita; pro quibus bona acquirere praesumuntur, nisi contrarium probetur.

714. —Quoties aliqua paroecia vel missio, ad definitum aut indefinitum tempus, curae religiosorum, de licentia Sanctae Sedis, tradatur:

1.0 Accurate conficiantur documenta, quibus constet quatenam bona sint religiosorum propria, quatenam ab ipsis tantum administrentur;

2.0 Conventio adstipuletur inter Ordinarium loci et Superiores Religiosorum juxta normas a S. Congregatione Concilii traditas;

3.0 Horum documentorum unum exemplar in archivo paroeciae aut missionis, alterum penes Ordinarium loci, tertium denique apud Superiorem majorem religiosorum sedulo custodiantur.

715. —Quaelibet bona ecclesiastica immobilia proprio titulo proprietatis, jure civili valido atque in archivo dioecese sano diligenter asservando, muniantur juxta leges in his regionibus vigentes.

Licet autem eadem bona jure inscribi possint nomine personae moralis ecclesiasticae ad quam pertinent, volumus ut

bona immobilia tam dioecesium quam paroeciarum, pro more apud nos jamdiu recepto, nomine Episcopi proprii hoc pacto inscribantur: *The Roman Catholic Bishop of N.* addito officiali vocabulo quo dioecesis appellatur.

Si tituli jus proprietatis comprobantes non exstent aut solemnitatibus civilibus careant, administratores bonorum ecclesiasticorum Ordinarium adeant, qui inscriptioni faciendae, quoad fieri possit, providebit.

716 .—Ad omnem dubitationem in posterum removendam circa proprietatem bonorum ecclesiasticorum, districte parochis ac sacerdotibus saecularibus interdiximus ne ecclesias, scholas, domos paroeciales vel coemeteria aedificent absque praevia Episcopi proprii licentia in scriptis danda, neve eadem bona nomine proprio aut alicujus personae privatae inscribant, sed in omnibus servent praescriptum decreti praecedentis.

Caput II.

De bonis ecclesiasticis administrandis.

717. —Supremum principium juris naturalis in administrandis bonis Ecclesiae est ut intentio donatoris vel benefactoris ab administratoribus ecclesiarum intacta servetur.

718. —Etsi ad majorem securitatem ac tutelam bonorum Ecclesiae., quisque Episcopus bona omnia temporalia totius dioeceseos possidere atque administrare coram Gubernio censeatur ut corporatio unipersonalis (*Corporation sole*), dominium tamen bonorum ecclesiasticorum ad eam pertinet personam moralem (puta paroeciam, locum pium, ecclesiam), quae ea legitime acquisierit.¹

*S. C. Cone., 29 Jul. 1911; Can. 1499 § 2.

Directa quoque eorumdem bonorum administratio, pertinet ad personas físicas quae, jure communi vel particulari, legitime repraesentant illas personas jurídicas quibus dominium proprietatis bonorum ecclesiasticorum competit.¹

719 .—Ad Ordinarium loci ad normam juris pertinet vigilantia bonorum ecclesiasticorum quae ad diversas personas ecclesiasticas spectant. Haec autem vigilantia Ordinarii loci complectitur:

1.0 Jus visitandi et rationes exigendi.**

2.0 Jus praescribendi modum administrationis ad normam sacrorum canonum, et proinde jus antigraphum rationum exigendi et omnes computationes approbandi.^{1 2 3}

3.0 Jus invigilandi ut sedulo serventur sollemnitates requisitae, tam in alienatione bonorum quam in quolibet contractu quo conditio Ecclesiae pejor fieri possit, necnon ut delinquentes puniantur ad normam canonum.⁴

720 .—Ut Ordinarius has suas obligationes rite adimplere valeat, indiget auxilio officii administrativi dioecese, cui Director ecclesiasticus praeest, aliis ecclesiasticis vel laicis, si casus ferat, peritis viris adjunctis.

In aula hujus officii erigatur tabularium in quo accurate serventur documenta ad omnes personas jurídicas dioecese spectantia, nempe: exemplaria contractuum, computus annui ad Curiam transmissi, antigrapha rationum, tituli ac valores, exceptis forte iis quae ad bona temporalia Capituli cathedralis pertinent.

¹ Can. 1521, 1182, 1183.

² Can. 1521 § 2.

³ Can. 1519 § 2.

⁴ Can. 1533, 1534, 2347.

Haec arca (*safe*) titulos et valores continens tribus diversis clavibus muniatur, quarum una apud Episcopum, altera apud Directorem officii administrativi, tertia apud unum c Consilio administrationis virum diligenter custodiatur.

72L —Officium administrativum sedulo invigilet ut documenta omnium piarum foundationum in tabulario accurate serventur, onera foundationum fideliter impleantur, atque Ordinarius loci de quocumque defectu tempestive moneatur ad normam cann. 1514-1517.

Onerum ex piis foundationibus incumbentium tabella conficiatur, propria manu subsignata a Directore officii administrativi; eoque officio defungente, successor pariter ei sua manu subscribat appositis die, mense et anno. Si haec tabella seu inventarium successori per procuratorem tradatur, ipsemet procurator eam subsignet.

722. —Idem officium pecunias et titulos seu valores diligenter custodiat, atque rationem Episcopo reddat de expensis in proprium vel alienum commodum factis.

<

>

Episcopus Vicarium Generalem delegare potest ut, simul cum aliquo e sodalibus Consilii administrationis, computus generales acceptorum et expensorum saltem bis in anno accurate describat et instrumenta obsignet.

723. —Ne autem bona cultui divino piisque operibus dicata vel servitio personarum ecclesiasticarum addicta, ad alios usus diverti periclitentur, statuimus atque omnibus harum regionum Episcopis in Domino praecipimus:

1.0 Ut duplex inventarium rite confectum habeant; unum, in quo res omnes ecclesiasticae quas nomine proprio possident,,

2.0 Ut testamento vel alio legali instrumento, prout spectatis legibus his in Insulis vigentibus consultius videatur, bonorum Ecclesiae in supra dicto inventario descriptorum, securae ad successores transmissioni consulant.¹

724 .—In quavis paroecia, confraternitate aut loco pio fiat quamprimum, nisi jam factum fuerit, inventarium omnium bonorum duplici exemplari, quorum unum in archivo propriae. personae moralis, alterum apud Curiam dioecesanam custodiatur.<

Cum sacerdos aliquis ad suam primum paroeciam vel missionem accedit, accipiat a praedecessore, vel a Vicario foraneo vel ab alio deputato ab Episcopo, inventarium tum omnium rerum domui paroeciali adscriptarum, tum etiam ceterorum bonorum ad paroeciam vel missionem pertinentium.

725 .—Tam parochi quam ceteri administratores bonorum ecclesiasticorum, diligentia boni patrisfamilias suum munus implere tenentur; rationes suae administrationis Ordinario loci quotannis reddant; sine ejusdem Ordinarii licentia, litem nomine Ecclesiae ne inchoent vel contestentur. Omnia autem haec adimpleant juxta praescripta canonum 1523, 1525, 1526.

726.—Caveant administratores ne, in bonis ecclesiasticis administrandis, fines muneris sibi commissi excedant, ac nominatim ne, inconsulto proprio Ordinario, notabilem pecuniae quantitatem collocent, aut ullo pacto de foenore percepto disponant.

Stricte parochis aliisque administratoribus bonorum prohibemus quominus in mensa nummularia (*bank*) deponant ecclesiae pecuniam suo proprio nomine vel alius personae pri-

*Conc. Manii. I, n. 1016, 1017. ²
Cone. Manii. I, n. 1003.

vatae nomine inscriptam, eisque injungimus ut talem pecuniam ad Curiam dioecesanam quamprimum remittant ut ibidem custodiatur. Quod si securitatis causa eam apud mensam nummulariam brevi tempore deponere debeant, id ne faciant nisi modo ab Ordinario approbato, ita ut clare in omni casu appareat pecuniam ad ecclesiam pertinere.

727 .—Clerici, ac praesertim parochi, concionatores et confessarii, doceant fideles bona ecclesiastica esse sacra, declarantes eorum violationem naturam induere sacrilegii, quod gravibus poenis ab Ecclesia punitur.

Caput III.

De mensis episcopalibus.

728 .—Reditus beneficii seu mensae episcopalis apud nos constituunt:

1.0 Quota pars reddituum et proventuum paroecialium a Sancta Sede approbata;

2.0 Oblationes quae occasione administrationis Confirmationis solvuntur;

3.0 Taxae quae cedunt Curiae dioecesanae, demptis expensis et stipendiis officialium ejusdem.

729 .—Episcopus bona mensae episcopalis ipsemet diligenter administret;¹ atque, ubi nondum factum fuerit, decretum de constitutione mensae episcopalis semel pro semper edat, quo domus episcopalis aliaque bona beneficalia, ab aliis bonis ecclesiasticis prorsus distincta, eidem mensae perpetuo adscribantur.

¹ Can. 1483 § 1.

730.—Beneficia episcopalia iisdem legibus subjiuntur iisdemque juribus gaudent ac alia beneficia ecclesiastica, nisi in aliquo casu particulari aliter a jure decernatur.

731 .—Domus episcopalis sarta tectaque conservetur et, si opus sit, restauretur et reparetur impensis ejusdem mensae episcopalis.

“Curent quoque Episcopi ut, accurato inventario confecto, utensilia omnia vel bona mobilia domui episcopali forte addicta, atque in mensae dominio constituta, ad successorem ex toto secureque transmittantur.”¹

Caput IV.

De taxis solvendis.

732.—Ecclesia, quum in non paucis regionibus privata fuerit bonis immobilibus atque stabilibus redditibus, praeter liberales oblationes fidelium, etiam taxas suis subditis impositas, tamquam modos percipiendi redditus ecclesiasticos jure merito retinuit.^{1 2}

733 .—Circa taxas paroeciales, quae vulgo sub nomine *Arancel* veniunt, juxta can. 1507 § 1 haec servanda sunt:

1.0 Taxae in Concilio provinciali vel in conventu Episcoporum provinciae praefiniantur, ut una eademque norma, quoad fieri possit, regantur parochi in unaquaque provincia ecclesiastica.

2.0 In hujusmodi taxa stabilienda, Episcopi tum cleri necessitatem, tum etiam praesentium temporum adjuncta, attendant oportet;

¹ Can. 1483 §§ 2, 3.

² Cone. Manii. I, n.

3-o Taxae non sint adeo graves, ut arceant fidele, k r ficiis
Religionis persolvendis; 01

4.0 Nulla vi praefinitio ejusmodi taxarum polleat, nisi prius
a Sede Apostolica approbata fuerit.

734 —Edictum Ordinari i, in quo taxae statuuntur pa-
roeciales rite a Sancta Sede approbatae, populo notum fiat- atque
in quolibet officio paroeciali necnon in sacristia cujus- libet
ecclesiae, sigillo Episcopi munitum, loco patenti affigatur.

735. —Nihil omnino, sive directe sive indirecte, exigatur a
fidelibus praeter taxas ab Ordinario loci praescriptas ac statutas.
Quin immo, et in praescriptis taxis exigendis, prae oculis habeant
parochi tum aequitatem tum christianam caritatem.

Nemo unquam pauperes, a quibuscumque functionibus
sacris, quas illi petierint, repellere audeat.

736. —“Taxas consuetas et legitime approbatas augentes,
aut ultra eas aliquid exigentes, gravi mulcta pecuniaria coer-
ceantur, et recidivi ab officio suspendantur vel removeantur pro
culpae gravitate, praeter obligationem restituendi quod injuste
perceperint/”¹

737. —Episcopi in sua quisque dioecesi determinent
quantum precise ex redditibus et proventibus debeatur *parcho*,
quantum *fabricae Ecclesiae*, firmo praescripto decreti 728, 1.0.

Uniformitatis causa commendamus ut, quoad fieri possit,
haec determinatio una eademque sit in unaquaque provincia
ecclesiastica.

Quoad modum assignandi mercedem iis qui parcho in
officiis paroecialibus inserviunt aut eidem praesto sunt pro

¹ Can. 2408.

servitio ecd^{esi}ae> serventur laudabiles cujusque dioecesis consuetudines.

738. —Si quando acciderit parochum, justa de causa et licentia prius obtenta, a sua cura per notabile tempus abesse, Episcopus ei qui vices parochi pro tempore gesserit, ex proventibus parochi obvenerit, mercedem pro labore congruam adsignabit.

739 .—Merito quoque Episcopi exigunt taxas legitime statutas pro variis actibus jurisdictionis voluntariae, vel pro executione rescriptorum Sedis Apostolicae, aut pro expensis et actibus judicialibus, ac in genere pro documentis per cancellariam episcopalem expediendis. Hae autem taxae in Concilio provinciali aut in conventu Episcoporum provinciae praefiniendae et a Sancta Sede approbandae sunt, aliorum sacrorum canonum praescriptis servatis."

Praeterea in dispensationibus matrimonialibus, ex potestate a Sede Apostolica delegata concedendis, facultate pollent exigendi a non pauperibus emolumentum aliquod ad Curiam Romanam in fine cujuslibet anni mittendum, detracta modica aliqua praestatione ex titulo expensarum cancellariae. Nullum aliud emolumentum exigi potest, nisi facultas a Sancta Sede expresse data fuerit.³

Caput V.

De collectionibus eleemosynarum.

740. —Quotannis fiat collecta pro Terra Sancta, ad normam Litterarum Apostolicarum Leonis XIII *Domini et Sal-*^{1 2 3}

¹Conc. Manii. I, n. 997,

² Can. 1507 § 1.

³ Cfr. Can. 1056.

vatoris, diei 26 Dec. 1887, quibus praescribitur ut “totius terrarum orbis locorum Ordinarii sub sanctae obedientiae vinculo curare teneantur, ut respective, in cujuscumque dioecesis parochiali ecclesia, una saltem singulis annis vice, nempe feria sexta Majoris Hebdomadae, vel alio ad uniuscujusque Ordinarii lubitum similiter semel tantum quotannis eligendo die, fidelium caritati Sanctorum Locorum necessitates proponantur”.

741. — Similiter, ad normam Encycl. Leonis Papae XIII *Catholicae Ecclesiae*, diei 20 Nov. 1890, quotannis, qua die in quibusque locis Epiphaniae Domini celebrantur mysteria, in subsidium operis pro Afris a servitute liberandis et ad doctrinam Christi adducendis pecunia, stipis instar, corrogetur in ecclesiis et omnibus oratoriis dioecesis.

742. — Insuper volumus ut in subsidium missionum catholicarum, eleemosynae in omnibus harum regionum ecclesiis et oratoriis publicis, singulis annis hoc pacto colligantur, videlicet:

1.0 Paenultima mensis Octobris die dominica, pro Pontificio Opere a Propagatione Fidei;

2.0 In festo Sacrae Familiae seu Dominica infra octavam Epiphaniae, pro Pontificio Opere a Sancta Infantia;

3.0 In festo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, pro Pontificio Opere a Sancto Petro Apostolo ad conformandum clerum indigenam.

743. — Nemini liceat eleemosynas quomodolibet collectas ad mentem decr. 740-742 in alios usus convertere atque immutare.

Curent autem parochi ac rectores ecclesiarum easdem eleemosynas quamprimum ad Curiam episcopalem mittere,

distincte referendo quaenam summa pecuniae pro Terra Sancta, quaenam pro missionibus Africanis aut pro Fidei Propagatione aliisque Operibus Pontificiis collecta sit.

Episcoporum denique erit, eleemosynas ad sublevandas necessitates Sanctorum Locorum, proximiori Ordinis Sancti Francisci pro Terra Sancta Commissario tradere; summam vero universam pro aliis necessitatibus collectam, cum Directore nationali pontificalium operum tempestive communicare, eique significare quantum cuique operi tribui debeat.

744.—Licitae ac laudabiles sunt collectae in Ecclesia fieri solitae, necnon publicae illae collectiones eleemosynarum quae, legitima de causa, fiunt ad opera religionis et caritatis, seu ad necessitates tum spirituales tum temporales sublevandas, dummodo in omnibus serventur Codicis juris canonici can. 691 § 3⁵ 621-624, 1503 praescripta.

Si quis absque debita licentia colligat oblationes, opportune per parochos vel per Curiam dioecesanam moneatur populus fidelis, ut ei eleemosynas non suppeditet.¹

745 .—In colligendis eleemosynis non decet uti mediis quae spiritum mundanum prae se ferunt, qualia sunt beneficia sic dicta *Beauty contests*, exhibitiones cinematographicae mundanae, etc.

Quare reprobamus abusum catholicas familias convocandi ad choreas, nocturnis aut diurnis horis habendas eo fine, ut subsidia pro uno aliove pio opere necessaria comparentur.

Omnibus praeterea sacerdotibus sive saecularibus sive religiosis aliisque clericis interdiciamus, ne memoratas choreas promoveant aut foveant, neve eis intersint si forte a laicis pro-

¹ Cone. Manii. I, n. 966.

moveantur, quamvis in piorum operum levamen vel ad alium quemlibet pium finem dirigantur.¹

Caput VI.

De piis legatis ac foundationibus.

746. —Parochi, rectores ecclesiarum et administratores piarum causarum, indicem seu relationem conficiant omnium legatorum vel piarum foundationum, qua accurate describatur historia ac rite adnotetur status praesens uniuscujusque legati seu foundationis.

Indicem quoque conficiant omnium foundationum quae forte perierint, addita notula documentorum quae bonorum reivindicacionem juvare valeant.

747. —Ad normam can. 1546, absque Ordinarii loci consensu, nequeunt parochi aut rectores vel administratores personae moralis ecclesiasticae piam foundationem, quae forte offeratur, acceptare vel repudiare.

Maxime autem caveat Ordinarius loci ne unquam acceptet, neve consensum praebeat ad acceptandas Missas fundatas, cum onere easdem in perpetuum aut ultra tempus decennii celebrandi.

748. —In ultimis voluntatibus aut donationibus inter vivos in bonum Ecclesiae serventur, si fieri possit, solemnitates juris civilis, ne piae fidelium voluntates frustrentur; nisi forte dispositiones ipsae legales impediuntur, aut legata vel donationes diminutionem patiantur, quibus in casibus Ordinarius vel alius vir probus ac peritus consulatur.

^xS. C. Consist., 31 Mart. 1916, et 10 Dec. 1917.

749 .—Clerici, in primis animarum rectores et confessarii, juxta regulas admonitionis a probatis auctoribus traditas, moneant heredes et testamentorum executores de obligatione pietatis ac justitiae qua tenentur testatoris vel donatoris voluntatem adimplere, quamvis in foro civili exsecutio forte urgeri nequeat, eo quod testamentum sit jure civili nullum; quod si negligentes fuerint, posse ad fidelem exsecutionem ab Ordinario etiam censuris cogi.¹

750 .—Erudiantur quoque fideles de obligatione reddendi Ordinario rationem exsecutionis piarum voluntatum, sive per actus inter vivos sive mortis causa sibi commissarum, necnon de obligatione Ordinarii vigilantiam et interventum non impediendi.

751 .—Quoties reductio onerum quae pias fundationes gravant, a Sede Apostolica aut ab Ordinario ad normam can. 1517 et 1551 concedatur, explicetur fidelibus quorum interest id non fieri nisi e gravi ac justa causa et supplendo fructum tam impetratorium quam satisfactorium ex thesauro Ecclesiae.

Haec sunt decreta—emendationibus castigata—Primi Concilii Plenarii Insularum Philippinarum.

Quibus omnibus et singulis, Nos omnes, hujus Concilii Plenarii Patres, consentientes subscribimus Manilae, in ecclesia Eremitarum Sancti Augustini Divo Paulo Apostolo dicata, die vigesima quinta Januarii, Dominica tertia post Epiphaniam recurrente, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo tertio.

¹Can. 1513, et 2348.

- ▶ Jx Ego NORMANNUS THOMAS Card. GILROY, *Archiepiscopus Sidneyensis, Legatus a Latere.*
- ▶ Jx Ego AEGIDIUS VAGNOZZI, *Archiepiscopus tit. Myrensis, Nuntius Apostollcus.*
- ▶ Jx Ego IULIUS ROSALES, *Archiepiscopus Caebuanus.*
- ▶ Jx Ego IACOBUS SANCHO, *Archiepiscopus Neo-Segobiensis.*
- ▶ Jx Ego IACOBUS HAYES, S. J., *Archiepiscopus Cagayanus.*
- ▶ Jx Ego PETRUS SANTOS, *Archiepiscopus Cacer ensis.*
- ▶ Jx Ego IOSEPHUS M. CUENCO, *Archiepiscopus Jarensis.*
- ▶ Jx Ego IOANNES C. SISON, *Episcopus tit. Limatensis* Procurator Exemi et Rev.mi D.ni ALFREDI VERZOSA, *Episcopi tit. Capsitani.*
- ▶ Jx Ego CAESAR MARTA GUERRERO, *Episcopus Sancti Ferdinandi.*
- > Jx Ego ALOYSIUS DEL ROSARIO, S. J., *Episcopus Zamboangensis.*
- ▶ Jx Ego EMMANUEL MASCARINAS, *Episcopus Tagbilaranus.*
- ▶ Jx Ego MICHAEL ACEBEDO, *Episcopus Calbayoganus.*
- ▶ Jx Ego MARIANUS A. MADRIAGA, *Episcopus Lingayensis.*
- ▶ Jx Ego IOANNES V. VRACKING, M. S. C., *Episcopus Surigensis.*
- ▶ Jx Ego ALFREDUS MA. OBVIAR, *Episcopus tit. Linoensis, Administrator Apostollcus Lucenensis.*
- ▶ Jx Ego IOANNES C. SISON, *Episcopus tit. Limatensis, Auxiliaris Archiepiscopi Neo-Segobiensis.*
- ▶ Jx Ego RUFINUS J. SANTOS, *Episcopus tit. Barcaeus, Administrator Apostolicus Manilensis et Lipensis.*
- ^ Ego GULIELMUS BRASSEUR, C. I. C. M., *Episcopus tit. Agathonicianus, Vicarius Apostolicus Montanus.*
- ▶ Jx Ego ALEXANDER OLALIA, *Episcopus Tuguegaraoanus.*
- ▶ Jx Ego VINCENTIUS P. REYES, *Episcopus tit. Asponitdnus.*
- ▶ Jx Ego EMMANUEL P. YAP, *Episcopus Bacolodensis.*
- ^ Ego GERARDUS MONGEAU, O. M. I., *Episcopus tit. Dimensis, Praelatus nullius Cotabatensis.*
- ▶ Jx Ego PEREGRINUS DE LA FUENTE, O. P., *Episcopus tit. Mylasensis, Praelatus nullius Batanensis et Babuyanensis.*